UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

Maffei, Pietro Antonio

Augsburg ; Regensburg, 1740

VD18 80488153

urn:nbn:de:hbz:466:1-60272

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

L. III n. 4501
9

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Petri Antonii

MAFFEI

SOCIETATIS JESU,

EXERCITIA SPIRITUALIA

Usui

Personarum Ecclesiasticarum adaptata.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EXERCITIA SPIRITUALIA

AD

MENTEM & NORMAM

D. IGNATII

CONSCRIPTA & ADAPTATA

Usui

PERSONARUM

ECCLESIASTICARUM

Pro sacra solitudine

singulis annis ineunda,

& in octo vel decem dies protrahenda

A

R. P. Petro Antonio

MAFFEI

E SOCIETATE JESU.

Nunc ex Italo idiomate in Latinum translata

Ab alio ejusdem Societatis Sacerdote.

Cum Permissu Superiorum & Privilegio Cæs.

AUGUSTÆ & RATISBONÆ,

Sumptibus Strötter & Fesenmayr,

Bibliopolarum M DCC XL.

Typis Max. Joseph. Antonii Wachter.

Collegii Soc. Jesu Paderborni

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facultas R. P. Provincialis cum Privilegio Cæsareo.

CÙm D.D. Strötter, & Fesenmayr, Bibliopolæ Augustani typis vulgare desiderent Librum, cui Titulus: *Exercitia Spiritualia ad mentem & Normam D. Ignatii* &c. à R. P. Petro Antonio Maffei, è Societate JEsu Italicè conscriptum, nunc ab alio ejusdem Societatis Sacerdote in Latinum idioma translatum.

tum. Ego Rudolphus Burck-
hart, Societatis JEſu per
Superiorem Germaniam
Præpoſitus Provincialis,
poteſtate ad id mihi factâ
ab A. R. P. N. Franciſco
Retz, univerſæ Societatis
Præpoſito Generali, facul-
tatem illis ad hanc Editio-
nem impertior, ſimúlque
communico Privilegium
Cæſareum, quo aliis Biblio-
polis, ac Typographis,
prohibetur, dictum Librum
citra conſenſum ſuperio-
rum recudere, aut intra
fines S. R. I. & hæredita-

rias

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rias S. C. Majeſtatis ditiones importare. In cujus fidem manu mea ſubſcripſi, & conſuetum officii Sigillum appoſui.

Monachii 26. Januarii 1740.

RUDOLPHUS
BURCKHART.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Monita

Personis Ecclesiasticis, antequam Spiritualia exercitia auspicentur, data ab Auctore.

DIvus Bernardus Clarevallensis Abbas, Clerum Gallicanum in Concilio Rhemensi congregatum adhortaturus, his verbis Sermonem exorsus est: *Grave est onus, quod mihi injungitur, ut doceam doctores & instruam Patres; cùm scriptum sit: interroga Patres tuos, & annunciabunt tibi.* Longè majori jure hoc ipsum de me sentire possum in præsenti rerum articulo; Jubeor enim ab iis, quibus juratam debeo obedientiam, instruere Ecclesiæ Magistros, dirigere animarum directores, & pascere pastores populorum. Sed ita disponente Deo nil rari hoc habet. Ita Moyses, quamvis esset sapientissimus, & ab ipsomet Deo lumine superno liberalissimè perfusus, Jethro soceri sui instructionibus, & consiliis se lubentissimè subjecit, & obsecutus est. Balaam, quamvis esset propheta, ita volente DEO magistrum directorem habuit asinum, cui insidebat, & inequitabat. Ad ostendendam luculentiùs, suam potentiam adhibuit DEUS exiguum

lapillum, qui vastum illum Nabuchodonosoris Colossum everteret, & contereret; ut autem ingens ædificium Ecclesiæ suæ erigeret, duodecim rudes piscatores architectos esse jubet. Instrumenta quidem inepta; at si illa DEI artifex manus arripiat, mox faciet aptissima ad patranda mirabilia; homines stupidi, bardi, & vix stipitibus meliores, mox evadunt doctis omnibus doctiores; & habiles ad confundendos sapientes ipsos: *quæ stulta sunt mundi, elegit DEUS, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*; 1. Corinth. 1. Hac cogitatione animatus audeo in me suscipere arduum officium dirigendi in his exercitiis spiritualibus homines, à quibus ego dirigi & instrui deberem. Itaque manum operi admoveo, & ut suus huic sacro labori fructus respondeat, hæc præmitto monita:

Ingredi oportet hanc sacram eremum avido & amplo corde, cum firmo proposito ea omnia ad apicem exactè adimplendi, quæ fuerint præscripta. Cavendum, ne fulmen illud anathematis feriat, quod Jeremias Dei nomine omnibus illis minatus est, qui perfunctoriè peragunt pia opera: *maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter*: vel potiùs, prout legunt septuaginta interpretes, *qui facit opus Dei negligenter*; tunc autem opera pia, sive Dei dicuntur peragi *fraudulenter*, quando parte aliquâ talis operis

ris Deus defraudatur; *negligenter* autem fieri censentur, quando sine debita animi applicatione peraguntur. Hæc DEI maledictio illos potissimùm perstringit, qui Dei opera præcepta oscitanter, ac fraudulenter aut negligenter peragunt; afflat tamen & illos, qui simili oscitantiâ, ac fraude peragunt opera spontanea, & supererogatoria: ubi distinguere oportet duplicis sortis maledictiones divinas. Prima est illa, quæ privat animam Dei amicitiâ, ejúsque gratia sanctificante; & hac maledictione gravissima fulminantur omnes & soli illi, qui graviter deficiunt, & desunt in persolvendis piis ac sanctis operibus graviter præceptis; altera, & nonnihil mitior maledictio divina est illa, quæ privat copiosioribus & frequentioribus gratiæ præventientis adminiculis, quibus anima destituta, licèt non incidat in odium & inimicitiam Dei, incurrit tamen haud leve periculum amittendæ divinæ gratiæ, & seipsam perdendi. Et hæc pœna infligi solet illis, qui à bene cœptis deficiunt, in prosequendis & absolvendis sanctis operibus, etiam non præceptis, sed ultro susceptis, fatiscunt & elanguescunt. Ut itaque hanc secundam maledictionem evites, vita studiosè omnem fraudulentiam, & negligentiam, id est, perage hæc sacra exercitia cum debita integritate, & seria mentis applicatione. Integritas consistit in eo, ut nec minima par-

ticula decerpatur, aut omittatur ex illis, quæ in distributione temporis, horarum, & ordine diurno præscribuntur, operibus, & legibus quantumcunque minutis. Seria applicatio animi est anima pii operis; hæc si desit, deest operi pars illa, quæ sola Deo placet, & grata est, qui non hæret in considerando externo boni operis cortice, sed ad internum nucleum, id est ad cor operantis penetrat, & attentè considerat non tam quid, quàm quo modo, quo animo operemur, ex quo totum pretium trahit bonum opus; Deus intuetur cor. Quis scit, an ex his piis commentationibus non dependeat tota prædestinationis nostræ series, & filum?

Quod assero, vobis ob oculos ponam explicando communem Theologorum & ab his receptam doctrinam non minùs certam, quàm horribilem: Indubitatum est, Deum seriò velle antecedenter, non solùm voluntate signi, sed etiam beneplaciti salutem omnium omnino hominum: *vult Deus omnes homines salvos fieri* 1. Timoth. c. 2. Finis hic omnibus præfixus, & idem ipse est, sed non omnibus una eadémque via ad hunc finem pertingendi aperta, & præfixa est. Perspicit Deus infinitâ suâ scientiâ varios & innumeros eventus, concatenatas peripetias hominum in vitæ suæ cursu, & rerum vicissitudines in decursu occursuras, quibus velut tot viis variis aliqui ducantur

ad

ad æternæ ſalutis portum, alii ad æternæ perditionis portam. Quòd autem hic præ altero inveniat & ingrediatur potiùs ſalutis, quàm perditionis viam, non rarò dependet ex opere ſupererogatorio, & non adeò magni momenti; ex lectione fortuita pii alicujus libelli; ùt accidit S. Ignatio Loyolæ; ex contemplatione cadaveris; ùt accidit S. Borgiæ; ex auditione miſſæ, prout accidit divo Antonio Abbati: ex unica, ſed ſeriâ æternarum veritatum meditatione, ùt accidit D. Xaverio; ſed omnibus aliis ſepoſitis exemplis, ultimo, quod præ aliis magis ad rem & ſcopum meum facit, de D. Xaverio inhæreamus. Lubet itaque interrogare, quò Xaverius deveniſſet, quid illo factum eſſet, ſi vocanti Deo ad ſacram exercitiorum ſolitudinem aures clauſiſſet, cùm hæc pia exercitatio fuerit unica omnis eximiæ ſuæ ſanctitatis origo. Nos nunc Xaverium ſacris aris impoſitum veneramur ùt Sanctum, ùt Indiarum Apoſtolum, & orientis Thavmaturgum; fortaſſis Xaverius inter inferni titiones æternùm arſiſſet, ſi hunc ſalutis & ſanctitatis ſuæ fontem obturâſſet, & meditationes illas obiter percurriſſet, ad quas nullo Dei obſtringebatur præcepto; licèt has Deus unicum voluerit eſſe medium ad conſequendam tantam ſanctitatem, quin & ſalutem animæ.

Veritas hæc infallibilis tanti ponderis est, ut meritò cuivis Christiano ingentem incutiat metum & horrorem, curámque injiciat perennem, nullum posthac negligendi opus bonum, licèt ad hoc nullo adstringamur mandato, ad quod nos tamen internis Dei vocantis inspirationibus invitari, & stimulis suaviter, ac fortiter impelli sentimus. Forsan Deus his piis exercitationibus, ad quas cor tuum incitari non obscurè advertis, salutem tuam æternam alligavit. Narratur mirum quid in Societatis JEsu Annalibus de Sacerdote quodam Italo Senensi, qui cum publico hujus urbis scandalo obscœnas non modò Comœdias conscribebat, sed ipsemet choragus, & actor eò pejor, quò facetior, in publicis theatris proponebat. Accidit fortè, ut duo è Societate JEsu Religiosi illac transeuntes, ab urbis Episcopo detinerentur, & invitarentur ad excolendum Clerum suum Sacris Divi Ignatii exercitiis: acceptatur invitatio; & dum omnia fervent, etiam Sacerdos ille dyscolus, curiositate potiùs, quàm pietate & emendationis studio attractus, piis istis functionibus intervenit: sed primis statim diebus cor durum emolliente divinâ gratiâ, his usque ad finem cum tanto fervore adstitit, ut decreverit, publicum scandalum toti urbi, luridô & effræni suô vivendi modo datum, publicâ pœnitentiâ corrigere, & emendare: dixit; fecit;

cit. Finitis ſacris exercitiis, pariter finem fecerat ſuis Apoſtolicis Con ionibus in ſuo templo ad copioſum ſemper auditorem è Divi Franciſci Familia zeloſus Eccleſiaſtes; vix è ſacro ſuggeſtu deſcenderat iſte, cùm in eundem eluctatur novus & in expectatus concionator, pullô potiùs ſaccô ac ciliciô, quàm habitu indutus, ac pendulo è collo fune pœnitentiam publicè profeſſus: Sacerdos erat ille, quem ſpiritualia exercitia, ùt audiv mus, ex Saulo in Paulum mutaverant: hic igitur non jam voce tantùm, ſed ubertimis lachrymis, liquidis compuncti cordis teſtibus, totóque oris habitu veniam à coproſiſſimo auditore præſente & per hunc etiam ab abſentibus tam ardenter, & demiſsè rogabat præteritæ ſuæ, hactenus tam malè actæ vitæ, & præcipuè tot ſcandalorum datorum, ut omnes corde compuncti in teneras & ipſi ubertim diffluerent lachrymas, præſertim ubi ſtabilitum animi propoſitum non tantùm vitam hactenus actam, ſed etiam vitæ ſtatum mutandi publicè explicavit, & paulò pòſt hoc pium ſuum propoſitum executioni dedit, ſacrum Capuccinorum Ordinem ingreſſus, in quo non tantùm ferventer, & juxta rigorem ac tenorem ſuarum regularum exactè vixit, & usque ad finem perſeveravit, ſed jam morti proximus, omnibus lectulum ſuum coronantibus diſertè edixit, ſe ſuam æternam ſalutem,

quam miſerante Deo ſe brevì conſecuturum firmiter ſperaret, non alteri cauſæ adſcribere poſse, quàm ritè adhuc in ſæculari vita peractis S. Ignatii Loyolæ ſpiritualibus exercitiis. Et profectò, væ ipſi, ſi punctum illud, *particulam boni doni*, ſi invitationem illam internam, cui Deus ejus ſalutem alligaverat, neglexiſſet, & incurius tranſiliiſſet. Quid ſi & tua ſalus æterna ex ſimili filo, ex præſente occaſione animum ſpiritualibus excolendi exercitiis penderet? *Quapropter magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis* 2. Petr. 1.

Itaque octonos vel denos hos dies Deo dona, dedica & conſecra, nec illos ut tuos ampliùs, ſed ut Deo datos ac ſacros conſidera. *Hæ ſunt feriæ Domini ſanctæ, quas celebrare debetis.* Levit. 23. Dies ſepoſitis omnibus aliis negotiis ſæcularibus, integrè & unicè ſoli DEO impendendi. Itaque procul hinc procul ſint prophanæ & vanæ cogitationes, quæ non ſunt de Deo, vel de ſalute animæ: claudantur & oppeſſulentur portæ omnibus curis terrenis, ut omnes curæ impendantur Deo, animæ & æternitati. Anne prodigalitatis vos reos credetis, ſi Deo veſtræque animæ pauculos donetis dies, poſtquam innumeros in holocauſtum mundo & corpori iniquè immolâſtis: *dedimus corpori annos, demus animæ ſaltem aliquot dies: vivamus DEO parùm, qui ſæculo*

vixi-

viximus totum; ita nos animat, & jure merito adhortatur Petrus Chrysol. serm. 12. Hæ sunt feriæ Domino sanctæ: hi, hi dies Deo soli impendendi, & integrè in verum holocaustum immolandi sunt. Sed quô modo? non alio, quàm quo S. Mater Ecclesia solet loca vel ædificia prophana Deo consecrare, & divinis aptare usibus. Superbæ illæ templorum moles à cœca gentilitate olim vanis & fictitiis suis Diis, ac Deastris Jovi, Veneri, Dianæ & aliis similis surfuris idolis insanâ magnificentiâ exstructæ, primitùs à Christianis funditus evertebantur & solo æquabantur, ut sub harum ruderibus omnis idololatriæ memoria sepeliretur; verùm successu temporis consultius visum, hæc antiquæ Architecturæ miracula servare illæsa, ut in his ritè expiatis eliminato abominando idolorum cultui Religiosus veri Numinis cultus succederet, atque ita ipsa nefanda idololatria ac superstitio veræ religioni frendente dæmone famulari cogeretur. Ad hoc efficiendum hac procedebatur viâ. Inprimis abolebatur penitus, quidquid vel à longè olebat, vel sapiebat aliquid superstitiosè: Idola ùtùt eleganter & artificiosè picta, in marmore sculpta, ex ære fusa, ex auro, aut argento cusa, piis & ultricibus flammis absumebantur, contundebantur, vel eliquata destruebantur, ut omnis de ipsis memoria cum ipsis tolleretur; subinde sacro

oleo, & chrismate inungebantur parietes; tandem signis salutiferæ Crucis ornabantur, & armabantur. Et hæ sunt trinæ illæ Consecrationes, quas in hac sacra solitudine à vobis sanctè observari desidero, ut ex sacrilegis dæmonum delubris, in viva Dei templa mutemini.

Primum igitur esto, ut quidquid vanum & profanum est, procul à vobis arceatis: in cubiculo, in quod vos recipietis, nulli alii imagini, nulli libello locus sit, quàm pio, devotionem spiranti, virtutem docenti: mentem alia cogitatio non occupet, quàm de Deo, de salute animæ; cor alios non alat affectus, quàm ad Deum, ad salutem æternam directos: *quæ societas lucis ad tenebras, aut quæ conventio Christi ad Belial.* 2. Corinth. 6. Sicut in antiquæ superstitionis templis, in una, eadémque sede morari minimè posse judicabatur, Jovem cum Christo, Venerem cum Maria virgine; ita persuasum vobis sit, hoc sacro tempore in animo vestro minimè conjungi posse affectus erga Deum & mundum: cogitationes potiùs de æternitate in cor immigrent. Dixerunt primi illi Christiani: aliud sibi quærant diversorium idola, aliò migrent; hæc templa jam non quadrant ampliùs pro ipsis, nec ipsa pro his templis: hoc ipsum dicite & vos; alio tempore & loco compareant cogitationes, & solicitudines de negotiis domesticis, curialibus, œconomicis &c. nihil

hil suffurentur de hoc sacro tempore, in quod nihil juris habent. *Vivamus DEO parùm, qui sæculo viximus totum: seponamus domesticas curas.* Petrus Chrysol. cit. Hæc ergo cura vestra sit, cavere nè interdiu mens vestra nimium distrahatur, sed sollicitè custodiatur; claudantur portæ sensuum, ne per patulas cor evagetur, & foras erumpat, & econtra externæ rerum caducarum imagines, ac sensiles species irrumpant, quæ illimem aliàs animum molesta fuligine oppleant, & variis turbent phantasiis, præsertim eo, quo orationibus, aliisque piis exercitiis vacandum esset, tempore, subinde omnis diligentia erit adhibenda, ut animum aptemus & præparemus ad excipienda Divini Spiritûs charismata, & unctiones internas, per ferventes orationes, meditationes, considerationes, attentam asceticorum librorum lectionem, conscientiæ examina &c. Nullus dubito, quin vos, quippe Ecclesiastici, probè ac dextrè hæc arma spiritualia tractare noveritis: hinc supersedeo ulteriore instructione, & explicatione. Pro meditationibus itaque & considerationibus vobis propono solidas illas veritates, & fidei nostræ inconcussa dogmata, quæ Libellus exercitiorum S. Ignatii exhibet, nam ista omne robur continent ad vos perpellendos, ut omnia vitia angue pejus fugiatis, & virtutes omnes arctè complectamini: deducuntur autem hæ

veri-

veritates æternæ potissimùm ad quatuor hominis novissima, ad vitæ à Divino Redemptore nostro in terris actæ normam, nobísque relicta exempla. Satis erit pro oratione vocali, si pensum vestrum diurnum horarum Canonicarum ferventer, & attentè persolveritis stato & præfixo tempore, si huic adjunxeritis preces Lytanevticas de Sanctis, ut suô patrociniô à Deo impetrent supernum lumen vestro intellectui, ardorem voluntati, ad cognoscendum, & faciendum, quidquid feliciter conficiendo grandi ac momentoso æternæ salutis negotio utile, vel necessarium est: præterea per totius diei decursum frequenter variis ac fervidis cœlum impetes precibus jaculatoriis; nunc quidem ad Deum Patrem clamabis: *vias tuas Domine demonstra mihi*; aliàs verbum incarnatum rogabis: *Illumina nunc pectora, tuóque amore conerema*: nunc ad sanctum suspirabis Spiritum: *accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus*: aliàs adMatrem virgineam te vertens dices: *Solve vincla reis, profer lumen cæcis*: nunc ad Custodem angelum has, vel similes animi scintillas evibra: *me tibi commissum pietate supernâ hac die illumina, custodi, rege, guberna.* Ubi te manè à lectulo proripueris, tuis consuetis precibus matutinis superadde ad diviniSpiritus opem implorandam hymnum: *Veni Creator Spiritus &c.* quin, si tantum superfit temporis, adjunge parvum de S.Spiritu

tu officium : nam hac ratione Cœlum piâ violentiâ adiges, ut renovato Pentecostes Festo integrum supernarum flammarum diluvium in sinum tuum effundat.

Considerandi abundantem materiam præbebunt variæ obligationes, quæ te stringunt non uno ex capite, ùt creaturam, ùt hominem, ùt Christianum, ùt mortalem, ùt baptizatum, ùt sacro Chrysmate inunctum & confirmatum, ùt pœnitentem, ùt Ecclesiasticum, ùt sacris Ordinibus initiatum, ut Sacerdotem, ùt ad aras facientem, ùt parochum, vel animarum curâ innodatum: ùt beneficium aliquod Ecclesiasticum obtinentem, ùt Confessarium, ùt obsequio alicujus Ecclesiæ addictum: suggeretur, ad quid hìc, ad quid ibi potissimùm sit attendendum.

Lectionem spiritualem subministrabunt Thomas Kempensis de imitatione Christi; P. Alphonsus Rodriquez S. J. in libro cui titulus: Exercitium perfectionis; Antonius Molina in libro, cui nomen: Instructio Sacerdotum: P. Antonius Foresti: Via ad Sanctuarium, vel alii similes libri, qui intellectum instruant, voluntatem moveant, & non curiositatem tantùm pascant; sed libris omnibus præponderare debent sacræ Litteræ, Evangelia, Epistolæ Divi Pauli: Ecclesiasticorum, & Sacerdotum Thesaurum ac Patrimonium esse oportet sacram Scripturam: in hac optima & salu-

berri-

berrima invenietis animæ pascua. Scriptura sacra, ùt Apostolus ad quemdam Ecclesiasticum scribit, est utilis ad intelligendam veritatem, ad conterendum cor, ad emendandos mores, & proficiendum in omni genere virtutum: Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, in Justitia, ut perfectus sit homo, 2. Timoth. 3. Oportet tamen hanc lento transire pede, animô proficiendi in virtute, non obiter percurrere animo proficiendi in litteris & eruditione. Examen conscientiæ bis singulis diebus instituetur: manè ante prandium semel, altera vice vesperi antequam cubitum concedas: in his specialiter inquires in obstacula hactenus Divinæ gratiæ à te posita, ut his removendis seriò manum admoveas: imò præter duo ista examina generalia brevi & particulari discussioni vacare juvabit quamlibet meditationem post ejus finem, ut defectus in ea commissos detegas, ac imposterum emendes, lumina cœlitùs immissa, & animi proposita annotes. Proderit subinde per anni decursum hæc relegere, & perpendere, & recoquere ad languescentem sensim fervorem resuscitandum, & priora animi sensa renovanda.

Tertium, quod observetur, erit, signum aliquod mortificationis Christianæ corpori & animæ interiùs & exteriùs imprimere;

hoc

hoc enim denotant Cruces, quæ in consecratione cœcæ gentilitatis templorum, & veri Numinis cultui, adaptatorum, & in erectione ac dedicatione novorum parietibus appingi, vel affigi solent. Pari passu semper junctæ ambulant oratio, & mortificatio: *bona est oratio cum jejunio.* Tob. 10. Quærit propheta Isaias, ut inveniat illum, cui se Deus liberaliùs communicet, quem doceat scientiam Sanctorum in oratione: *Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum?* Isa. c. 18. mox sibimet respondet: *ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus*: eos nempe, inquit, tam felices esse, qui lac deliciarum mundanarum non sugerent, & nec guttulam è Circæo poculo magnæ meretricis, ne quidem extremis labiis delibarent. Itaque necessum erit, ut tempore horum spiritualium exercitiorum mortificationes voluntarias adhibeas; non tamen una eadémque quadrabit pro omnibus, cùm non omnes æquali, & eodem corporis robore præditi sint, sed consilio & judicio directoris, & conscientiæ arbitri standum erit, nec tuo arbitrio procede, aut te tibimet ipse Magistrum constituas, vel enim amore proprio deceptus nimium cuticulæ blandieris & indulgebis, vel indiscreto zelo abreptus ineptè ultra vires in gracile corpus desævies: est tamen certum mortificationis genus, quod omnibus & singulis, qui ad spiritualia exercitia accedunt,

dunt, indiſcriminatim præſcribo, & citra omne lædendæ ſanitatis periculum adhiberi poteſt, interim tamen plurimùm confert ad obtinendos illos divinæ lucis radios, quos deſideratis, nempe fugam à ſæculi tumultibus, ſolitudinem, & ſilentium. Non equidem negaverim Deum in omni loco inter medios forenſium negotiorum ſtrepitus ad cor loqui, & vocem ejus à nobis audiri, ſimul ac diſtinctè intelligi poſſe; ſed nego, & pernego, id Deum communiter ſolere, cùm nobis clarè & palam per Prophetam Oſeam c. 2. edicat, *ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*, hoc ſibi in more poſitum eſſe aſſerens, ut non loquatur, niſi in ſolitudine, ſolus cum ſola, ſolitaria, & ſibi ſoli vacante anima. Voces Dei tandem nihil aliud ſunt, quàm divinæ inſpirationes, & illuminationes: *Vocavi, & renuiſtis.* Prov. 1. Quis autem ignorat, voces præſertim tenues difficulter percipi, & intelligi inter ſonoros ſtrepitus ac rumores. Huc collimat, quod Matth. c. 6. dicitur: *Clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito*: ut vocem Dei audias, & probè intelligas, neceſſe eſt claudere portas ſenſuum exteriorum, & obducto peſſulo in intima cordis penetralia te recipere, nullum omnino aditum, ne rimulam quidem mundi tumultibus relinquendo, vel aperiendo. Concionatores ad ſuos auditores è ſuperiore loco dicturi deſiderant ab his ſi-

lentium,

lentium, Deus per internas adhortationes, id eſt, inſpirationes, homines allocuturus, & eorum corda flexurus longè altius exigit ſilentium. Cavete itaque, ne hanc exiguam mortificationem, ſive cautelam negligatis, quæ vobis reſerabit aditum ad copioſas illuſtrationes divinitùs obtinendas. In partem etiam alicujus mortificationis venire poterit accurata obſervatio ordinis diurni ſemel ſtabiliti, à quo nec latum unguem diſcedendum eſt, ſed perdurandum usque ad exercitiorum finem: antequam tamen talis horarum diſtributio, ac ordo ſtabiliatur, agendum erit cum directore ſive inſtructore, ut communi conſilio omnia agantur.

Meditatio

Veſperi exercitiis poſtera die inchoandis præmittenda.

PRiusquam ſpiritualia exercitia auſpiceris, tres tibi veritates ſeriò perpendendas propono, quibus impellaris ad hæc exercitia magno fervore inchoanda, obfirmandúmque animum, ſemotis omnibus aliis curis, ac negotiis,

totum hoc tempus ſacræ ſolitudinis diligentiâ indefeſsâ unicè negotio negotiorum omnium maximo, æternæ ſaluti animæ impendendi: prima ex hoc ternario veritatum eſt, quanti momenti ſit ſalus æterna. Secunda quàm neceſſarium ſit, operanti Deo ad hanc conſequendam ſtrenuè cooperari; tertia quantum ſit periculum hac excidendi & æternùm pereundi.

1. Negotium omnium negotiorum in hac vita peragendorum maximum eſt negotium procurandi ſalutem æternam: parvi, imo nihili pendenda eſt jactura honoris, divitiarum & omnium bonorum hujus vitæ, ſi comparetur cum periculo amittendæ ſalutis æternæ, cùm hæc omnia ſint externa, & extra hominem. Nec majoris momenti eſt amiſſio hujus vitæ temporalis, cùm ſit amiſſio boni fluxi, & caduci, quo frui diu non poſſumus: ſed ſummi momenti, & detrimenti eſt jactura ſalutis æternæ, in hac enim homo ſeipſum perdit, & quidem totum, perdit animam, perdit corpus, perdit bona æterna omnia & quidem jacturâ irreparabili. Salus æterna ſuperat omnem æſtimationem, excedit omne pretium, & omne tuum deſiderium, ita loquitur S. Auguſtinus: deſideria & vota transgreditur. Acquiri poteſt, æſtimari non poteſt: ſi ſalvas animam, ſalva ſunt omnia: Si amittas animam, amiſiſti omnia.

Nil

Nil pretiosius habes animâ ex omnibus quæ habes: pro re omnium pretiosissima animam habuerunt, & æstimârunt sapientes hujus mundi, cœli incolæ, spiritus infernales, & Deus ipsemet, rerum utique justus æstimator. Anima est pulcherrima ex sua natura, cùm sit facta ad similitudinem, & imaginem Dei; est nobilissima ex sua prosapia, cùm genus suum & originem ducat non aliunde, quàm ab ipsamet SS. Trinitate; anima est immortalis, & durabit æternùm, durabit enim tamdiu, quamdiu duraturus est Deus. Æquum proinde est, ut anima omnibus rebus ùtùt pretiosis hujus mundi multis parasangis præferatur. *Fili serva animam tuam, & da illi honorem secundùm meritum suum.* Eccl. 10. & hoc eo diligentiùs, quòd jacturam animæ sequatur tormentorum æternitas: unum ex duobus: vel æternùm gaudendum in cœlo cum Deo, vel æternùm ardendum cum diabolo in inferno. Hæc inconcussa & solidissima fidei veritas altùm animo, & memoriæ nostræ imprimere debet pretium animæ nostræ, & hujus salvandæ summam necessitatem. Hæc attentè perpendite, hæc ruminate.

2. Ut autem tanti momenti negotium feliciter conficiatur, duos junctâ operâ concurrere oportet, Deum, & hominem: nec solus Deus tibi Cœlum dabit, æternám-

que ſalutem, tanquam præmium, mercedem aut coronam meritis tuis debitam, niſi & tu manum admoveas, & operam ſtrenuam jungas, nec tu ſolus hanc conſequi potes, absque Deo, & ejus ope: Deus ex parte ſua nunquam defuit, nunquam deeſt, quod primum ac potiſſimum eſt; nam Dei parum intereſt, an tu ſalveris, & in cœlum eveharis, vel damneris, & in infernum detrudaris, cùm ſine te fuerit beatus ab æternø, & ſine te ſit futurus beatus in æternum: huc ergo curam unicè intende, ut tu tibi & ex tua parte non deſis. Quid obſecro Deus non cogitavit, & excogitavit? quid non egit: quid non tulit, ut animam tuam ſalvam faceret? & tu tibi nimium feciſſe videberis, ſi de ſalute animæ tuæ de qua Deus per totam retro æternitatem, ut ita dicam ſollicitè cogitavit, per octo vel decem dies cogitare cœperis? Nimium ſit pro tua ſalute paucis his diebus puſillum boni præſtare, & paucula aliqua virtutum opera exercere, cùm tamen Deus omnipotentiam ſuam ad tam multa, ad tam mira pro te, tuáque ſalute patranda, immenſam ſuam miſericordiam ad tam multa ad mira benigniſſimè elargienda adhibuerit? Nimium ſit vincere levem naturæ horrorem, & repugnantiam, cùm Deus pro te & ſalute tua ſuſtinuerit contradictiones, calumnias, perſecutiones, paſſiones, crucem & mortem ipſam in cruce? Quàm pa-

rum

rum hucusque tu de, & pro ſalute tua cogitâſti, feciſti, & tuliſti? cogitatio tua minima & ultima inter tot negotia, & otia, fuit de ſalute animæ. Cogita, annon ex viginti quatuor unius diei horis vix unam impenderis animæ, omnes reliquas corpori: incommoda mille devoraveris, & patiente ſtomacho concoxeris, ut negotia & lucra temporalia ad optatum finem perduceres, ut verò ultimum tuum finem, ſalutem nempè æternam conſequereris, vix minimam moleſtiam æquo animo toleraveris, & forſan plus toleraveris & paſſus fueris, ut damnareris, quàm ut ſalvareris; longè plures & majores difficultates fortiter perruperis ad eluctandum ad altiorem aliquem honoris gradum, ad officium, vel beneficium pinguius, fors etiam in animæ detrimentum; nunc verò cades animo ignavus, & vix tantum roboris habebis, ut ad aliquot dies ſaluti æternæ in ſacra ſolitudine impendendos leve tædium ſuperare audeas. Ergóne exigis, ut Deus faciat omnia, & tu animæ nihil? Audi divum Auguſtinum te ſeriò monentem: *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*; & tu tanquam Vir Eccleſiaſticus hoc ipſum ſæpiùs tuis auditoribus pro concione inculcaveris? an eris poſthac inſtar immobilium ſtellarum, quæ in viis publicis defixæ viatoribus, ne aberrent, genuinas demonſtrant ſemitas, quin tamen ipſæ has unquam in-

grediantur, aut loco moveantur, aut instar stellæ polaris, quæ navigantibus in mari iter certum ad securum portum ostendit, nunquam tamen à frigidissimo suo polo ipsamet discedit.

3. O Viri Ecclesiastici! si hanc, quam Deus modò offert, optimam occasionem operandi salutem vestram, & ad insignem morum probitatem perveniendi, turpiter negligatis, nec firmum id, quibuscunque impensis efficiendum animi propositum concipiatis, fors Deus vos deseret, & certæ perditioni relinquet: specialibus vos gratiis hactenus cumulare dignata est millenisque divina misericordia, quarum facilè meminisse, difficulter verò numerum inire poteritis. Inter primas meritò numeranda est gratia vocationis ad statum Ecclesiasticum, in quo vobis ipse sacerdotalis Character, vestium decens modestia, sacræ in templo, præsertim ad aram, functiones felicem imponunt necessitatem ducendi vitam omni virtutum genere ad omnium ædificationem condecoratam. Si hactenus effusæ in vos divinæ liberalitati, quæ tam largis gratiarum imbribus cor vestrum inebriare, & fœcundare perrexit, debitas vices non reddidistis, meritò timere potestis, ne divina Justitia exasperata sufferre amplius non velit, ut vos ulterius in Dei Ecclesia tam sublimem gradum occupetis,

sed

ſed hoc dejectos ipſo mundo ejiciat, alios vobis longè digniores, & ad Dei obſequium promptiores ſufficiat: poteſtis jure timere, & aliam pœnam priori acriorem, quam Deus olim per Prophetam Iſaiam ſuæ vineæ minatus eſt: *Auferam ſepem ejus, & erit in direptionem:* retrahet manum ſuam, nec vos ampliùs proteget, & cedetis in prædam infernalibus inimicis. *Non putabitur, & non fodietur*, divinus agricola non ampliùs cultrô ſuæ gratiæ truncabit exuberantia vitulamina veſtrarum paſſionum, & ſiniſtrorum affectuum: neque ſuis inſpirationibus, ſive gratiis efficacibus usque ad cordis fundum penetrabit, ſed relinquet incultos. *Nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem:* ſubtrahet vobis ſuperiores, qui vos paternè corrigant; directores, qui vos moneant; concionatores, qui arida corda veſtra ſuavi ſalubrium adhortationum rore irrigent: *& aſcendent vepres, & ſpinæ*: hinc in tali anima ſilveſcente ſuccreſcent denſi peccatorum vepres, prout jam plurimis evénit, quos Deus ab initio ſpeciali & teneriore præ aliis complexus amore, ſubinde deſeruit, & rejecit, unicè hanc ob cauſam, quòd his favoribus tepidi & ingrati non reſponderint. Excitate itaque & accendite in vobis ardens deſiderium ex hac cultura, quam Deus veſtris animabus hoc exercitiorum tempore adhibere ſtatuit, fructum uberrimum hauriendi; fortaſſis

hæc erit cultura ultima, post quam, si non profuerit, si expectationi non responderitis, sequetur pœna hucusque dilata, omnimoda desertio, vastatio, & desolatio, ùt vineæ illi accidit, de qua conquestus est Divinus agricola Isa. 5. *expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas.*

Monitum.

„ Sequentes meditationes ea de causa sunt „ nonnihil fusiores, ut facilè dispesci, & una in „ plures, & in tot fere meditationes dividi possit, „ quot puncta unaquæque illarum continet, ab illis „ Ecclesiasticis, qui singulis diebus plures medita- „ tiones peragere, vel exercitiorum tempus ad quin- „ decim, viginti, viginti quatuor, vel omnino „ triginta dies juxta Divi Ignatii idæam extendere „ cupiunt.

Dies Prima

Meditatio prima

De ultimo fine hominis.

HUic utì & aliis omnibus subsequentibus meditationibus præmittes orationem præparatoriam; ad hanc requiritur 1ò. actus fidei, quo credas, te stare in conspectu Dei ubique & in omni loco per suam immensitatem præsentis. 2ò. actus submis-

missionis & profundissimæ humilitatis, Deum adorando, & veniam rogando tuorum peccatorum. 3ò. actus demississimæ petitionis ardentissimè rogando auxilium, ut meditationem, quam præ manibus habes, ritè peragerè, & fructum debitum ex ea haurire possis.

Subjunges huic præambulæ orationi semper duo præludia, primum vocatur compositio; sive imaginatio loci. Secundum consistit in petitione illius gratiæ particularis, quam per tuam meditationem tanquam hujus fructum, & scopum consequi intendis. In præsenti meditatione primum præludium in hoc consistet, ut tibi divinam essentiam imagineris, ceu immensum mare omnium perfectionum, ex quo tanquam ex sua origine profluant omnes creaturæ, & ad quod tanquam ad suum finem ultimum denuo refluant, sicut ex mari omnia flumina exeunt, & omnia ad illud iterum revertuntur. Has inter creaturas numerare debes etiam te ipsum, opus omnipotentis artificis, è cujus manibus prodiisti, primi principii, unde tuum esse hausisti, & ultimi finis, ad quem totum tuum esse ab ipso Deo ordinatum est.

In secundo præludio lumen à Deo efflagita tuo intellectui, ut finem tuum ultimum clarè cognoscas; voluntati consili-

um, ut opportuna ad hunc finem consequendum eligas media, robur manibus, ut forti, generosóque animo hæc media amplectaris. In hunc finem adhibere potes verba Psalmi 38. *Notum fac mihi domine finem meum*: vel verba illa Ecclesiæ: *oro supplex, & acclinis, gere curam mei finis*: his ipsis uti poteris interdiu pro precibus jaculatoriis. Præsentem meditationem in tria puncta divides 1. Deus est meum primum principium, & ultimus finis. 2. Ad hunc obtinendum ad manus habeo media abundantia, quibus tamen ego abutor. 3. Oportet ergo respicere media ùt media, & finem, ùt finem.

Punctum primum.

Considera hanc certissimam & infallibilem veritatem, quam S. Ignatius pro basi ac fundamento suorum exercitiorum spiritualium, & prima regula Christianæ vitæ ritè instituendæ ponit; *Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet, ac reverentur; eique serviens tandem salvus fiat*: quod idem est ac dicere, Deus est tuum primum principium, & ultimus tuus finis.

1. Deus est primum tuum principium. Ante quinquaginta, octoginta, vel saltem centum annos nihil eras, & adhuc in abysso tui nihili hæreres, nisi te Deus ex hac extra-

traxisset, & illud esse donâsset, quod modò possides, quem in finem adhibenda ipsi fuit infinita potentia, cùm nulla potentia inferior, ac limitata ex nihilo quidquam producere queat: itaque ex te ipso tuisque viribus nihil es, & purum nihil. Vide jam, cui fundamento innitatur fastus ille tuus, & tumida tua superbia: *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* 1. Cor. 4. Igitur Deo demississimas redde grates, à quo quidquid boni in te est, totum accepisse clarè agnoscis, & cave, ne in contemptum & offensam tam munifici datoris vertas tam pretiosa, ab ipsomet tibi concessa dona. Opus es omnipotentiæ divinæ, quæ utì sola potest omnia pro libitu ex nihilo protrahere, ita jam protracta nutu unico in antiquum chaos iterum præcipitare. Admirare, lauda, exalta, & superexalta Divinam potentiam, quæ ad producendum aliquid de novo in lucem, non indiget aliquâ materia aut subjectô, quali tamen indigent omnes creaturæ, siquid juxta ideas mente conceptas in lucem producere volunt. Velle apud Deum & facere idem est; ad unicum illius *fiat* terra in montes se erigit, in valles se demittit, in planitiem se extendit: *Ipse dixit, & facta sunt.* Ps. 148. Ipse ex nihili abysso stellas evocat, & istæ respondent: En ad nutum promptas: *Vocatæ sunt, Et dixerunt: adsumus; & luxerunt ei cum jucunditate qui fecit illas.* Baruch c. 3.

Tu

Tu admiraris potentiam regis terreni, eò quod possit excitare urbes, munimenta, palatia; vastare provincias, regna &c. & non consideras, quàm necessaria regibus sit ad hoc efficiendum plurimorum alio um opera. Horum potentia Divinæ comparata, est ipsa debilitas. Cùm te crearet Deus, quid tecum actum est? anteposuit te tot, & tot, ac tantis, quos tui loco creare potuisset; tot & tantis, qui Deo longò ferventiùs serviissent, quàm tu: Et tamen, quamvis præviderit tuam ingratitudinem, te præ aliis elegit, ut in te triumphum adornaret suæ beneficentiæ, limites omnes excedentis, tantæ bonitati quomodo, & quas tu vices reddidisti? pudore te suffundet vel sola memoria: *Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui.* Deut. c. 32. Artifex humanus opus suum, postquam persecit, deserit, nec multùm de eo ampliùs cogitat; nam opus illud artificiale ad sui conservationem non ampliùs indiget ope, aut operâ artificis: sed tu instar recèns nati infantis, qui nec pedibus insistere, nec gressum sine matris ope moliri potest, omni momento à Deo dependes; sine quo nec pedibus sustinere nec in illo esse, quod tibi dedit, conservari potes; ille, ille, in omni etiam minima tua operatione tecum concurrere, & tibi cooperari debet. Crescit igitur singulis momentis tua obligatio, tuum debitum, quo

Deo

Deo obſtringeris. Qui agrum, vel hortum colit, arborem plantat, omni jure exigere poteſt ex his creſcentes fructus. Quos fructus autem tu hucusque protuliſti illi, qui te fecit, qui te conſervat, qui tecum in omnes & ſingulas operationes tuas concurrit, & influit? Emori deberes præ rubore & confuſione, ſi tibi ob oculos ponere, & ſeriò conſiderare velles turpiſſimam ingratitudinem tuam erga creatorem tuum.

2. Deus eſt ultimus tuus finis. Creatus es propter neminem alium, quàm propter ſolum Deum: itaque tuus finis non ſunt res hujus mundi fluxæ & caducæ, quas tamen cœco amore miſerè deperis: tuus finis non ſunt voluptates, commoditates, carnis illecebræ, libertas effrænis, divitiæ, honores, pompæ, quæ te ita ineſcant, & illaqueant, ac ſi pro his natus eſſes. Nihil temporale finis eſſe poteſt animæ æternæ. *Servi facti Deo, finem habetis vitam æternam* ad Rom. 6. Prima regula, & norma vitæ ritè inſtituendæ eſſe debet ultimus tuus finis, ad quem velut ad ſuum ſcopum dirigi debent omnes tuæ actiones. Ita vitam ſuam etiam in ſæculo à teneris unguiculis inſtituebat S. Stanislaus Koska S. J. Paulo fratri ſuo ad mundi delicias invitanti liberè reſpondebat: æternitati natus ſum,

non

non huic sæculo, illi igitur, non isti vivam. Quàm longè & latè hucusque ab hac regula discessisti, abreptus à tuis passionibus, & indomitis animi affectionibus? à respectibus, & vanis timoribus displicendi hominibus? & vilissimis, ad quas præposterè collimabas, finibus? Erige tandem ad sublimiorem metam animi oculos & omnia tua dirige, ad altissimum, verum & unicum tuum finem, ad primum, unde prodiisti principium. Nec ullam ex omnibus aliis invenies creaturam, quæ sibi non habeat præfixum hunc ipsum finem ultimum: *universa propter semetipsum operatus est Dominus* Prov. 16. Non ideo tamen cæteræ creaturæ eâdem facie, eodem modô Deum respiciunt, ùt suum ultimum finem. Creaturæ irrationales hunc suum finem consequuntur, quando ad Dei gloriam consumuntur, prout victima in sacrificio absumitur & thus in thuribulo adoletur. Tuus finis non tam est, ut te in hac vita destruas, quàm ut Deo servias, & in altera æternùm illô fruaris. Maximo sibi honori ducunt homines, si à rege vel potente aliquo principe in aulam adsciti splendido alicui officio, præsertim uni ex illis, quæ ipsos præsentiæ, & familiaritati principis, ejus alloquio, tractandisque arcanis propinquiùs admovent, præficiantur, quamvis hæc diurna, nocturnáque servitia non aliam referant mercedem, quàm honorem levem, brevem,

fuga-

fugacem, & fumi pugillum, quòd tanto principi servire licuerit, prætereáque nihil. Tu verò vir Ecclesiastice non solùm vocatus, & admissus es ad dignitatem serviendi Deo summo Monarchæ, & Domino totius universi, sed ut sis inter illos charissimos, & fidissimos suos aulicos, quibuscum omnia sua mysteria, & arcanissima quæque communicet: nec vacuus abibit tuus labor, cui pro mercede promittitur, & dabitur vita æterna. O ineffabilis altitudo dignationis divinæ! O admirandam excellentiam finis, ad quem nos Deus creavit! Non ad alium finem omnium creaturarum primitias, & pulcherrimos spiritus angelicos produxit omnipotens artifex Deus, quàm ut Deo æternum fruerentur, imò ipsemet Deus alium finem non habet, quàm ut se ipso fruatur, & se ipso beatus sit. Immensas Deo gratias age, quòd te creaverit, & ad tam sublimem finem destinaverit. Sed ipsa hujus finis excellentia nos docet, quanti referat, ut hunc consequamur, utique pluris, quàm ut lis coram judice evincatur, & aliquot fundi alicujus alieni spithamæ proprio adjiciantur. Agitur de integro regno, de regno puri gaudii, de regno æterno; Hoc si excludaris, & priveris, carceri includêris horrido, carceri æterno, carceri meri doloris & supplicii. Hic non datur medium; aut paradisus, aut infernus: aut se-

per

per gaudere cum beatis in cœlo, aut semper ardere cum damnatis in inferno: & quid tunc proderit, in hoc mundo ad summos honorum apices ascendisse, divitiis Cœsum superâsse, omnis generis voluptatibus, deliciis, morbidis, sordidis, & illecebrosis mundi gaudiis diffluxisse, & Sardanapalum æquâsse, si perdas animam? *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? quid prodest?*

Hæc solidissima veritas seriò perpensa, & ponderata suffecit ad expugnandum, & mutandum grande cor Xaverii, & etiamnum sat roboris habet ad convertendum mundi & vanitatis mancipium in ferventem Christi Apostolum. *Quid prodest?* perpende quoties periculum proximum à fine tuo ultimo aberrandi, & animam perdendi adiveris, dic: *quid prodest*, quando illam gravi peccato inquinâsti? Quid tecum jam esset, si divinus Judex rigori suæ Justitiæ fræna laxâsset: Primus non esses, qui hujus rigoris justa victima propter unicum tantùm grave peccatum flammis æternis fuisses addictus, & à consecutione tui ultimi finis æternùm exclusus. Ob oculos tibi pone periculum, in quo etiamnum hæres: si hos attolles, videbis cœlum tibi iratum, si hos deprimas, videbis infernum apertum; si hos in gyrum circumagas, videbis te undique à fallaci mundo circumdatum, & mille fraudum laqueis

laqueis cinctum: si te ipsum introspicias, deprehendes rebelles, tumultuantésque cupiditates, seu passiones: Igitur convenit semper timere, & tremere: *cum metu*, ob gravitatem periculi, *& tremore*, ob facilitatem æternùm pereundi, *salutem vestram operemini.* Negotium tuæ salutis, est totum tuum, es tu ipse, nihil extra te, ad te unum spectat, te, tuum corpus, tuam animam, & utriusque æternitatem concernit. Et tu tam parùm curas, tam parùm de hoc cogitas? Evigila tandem, & hunc fatalem lethargum excute, firmissimúmque concipe propositum omnibus adhibitis viribus eò connitendi, ut ultimum tuum finem certò, & indubitatè consequaris.

Punctum Secundum.

Considera attentè, quæ S. Ignatius in sua meditatione de fundamento ulterius subjungit: *Cætera supra terram sita, sunt creata hominis ipsius causâ, ut eum ad finem creationis suæ consequendum juvent.* Hac in re perpendere poteris multitudinem mediorum, quæ Deus tibi paravit, & liberaliter offert ad æternam animæ salutem consequendam; & quam fœdè hactenus his fueris abusus. 1ò. Quot igitur media tibi Deus paravit, ut finem tuum ultimum assequaris? nullus erit Arithmeticus tam præstans, qui tibi hæc

omnia distinctè & exactè enumeret, & in unam summam contracta proponat. Poterunt tamen in diversas classes dividi. Aliqua sunt naturalia, aliqua supernaturalia; tam ex his, quàm ex illis iterum aliqua sunt intra, aliqua sunt extra hominem. Media naturalia homini interna sunt, tres animæ facultates sive potentiæ, quinque corporis sensus, sanitas, ingenium, judicium, prudentia, circumspectio, rerum terrenarum scientia & experientia. Quot media naturalia extra te? talia sunt omnes creaturæ innumerabiles, quas Deus creavit etiam propter te, ut tibi servirent, essentque adminiculo, ut per eas tanquam per scalam ad cognitionem Creatoris ascenderes: *cognoscibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* ad Rom. c. 1. Si Deus te cumulavit divitiis, eò collimavit, ut eleemosynis peccata tua redimeres, & æternos thesauros tibi comparares: si Deus te cum paupertate luctari voluit, id intendit, ut veras & æternas divitias constante patientiâ emeres; si te nobilem nasci voluit, splendidos natales stimulos & calcar tibi esse voluit ad heroica ausa & præclara facinora, ad majorem Dei gloriam fortiter suscipienda & perpetranda: si vili & ignobili ortus es genere, voluit Deus, ut ad sublimem nobilitatem filiationis divinæ aspirares, & in filium DEI adoptari quæreres. Paucis omnia; quidquid in hoc orbe terrarum à

Deo

Deo creatum & tibi datum eſt, eum in finem tibi datum eſt, ut tibi adjumento ſit ad obtinendam æternam felicitatem.

Nec pauciora media ſupernaturalia tibi ſubminiſtrata fuerunt, & hæc ipſa iterum partim extrinſeca, partim intrinſeca: interna auxilia ſunt tot, ac tam clara lumina, & illuſtrationes intellectus, tot inſpirationes, teneri impulſus, ſtimuli cor pulſantes, voluntatem accendentes, tot gratiæ, ùt vocant, actuales prævenientes cooperantes, concomitantes, & ſubſequentes, tot habitus infuſi virtutum theologicarum, & moralium, & ipſius gratiæ ſanctificantis, quæ te divinæ naturæ participem, filium Dei adoptivum, ac hæredem, cohæredem verò Chriſti efficit. Externorum verò mediorum ſupernaturalium nomine & numerô cenſentur tot ſancta Sacramenta, tot Sacrificia, tot exempla piorum, & ſanctorum hominum, verbum Dei incorruptum, tot libri Aſcetici, & ſpirituales; cuſtodia Angelorum, auxilium & protectio Cœlitum & communio Sanctorum, interceſſio B. Virginis, remiſſio peccatorum, ſacræ indulgentiæ, incarnatio Verbi divini, Mediator Dei & hominum JEſus Chriſtus, homo Deus, Paſſio & mors hujus incarnati DEI, ut ita ad finem tuum ultimum pervenire poſſis. Ex his omnibus facilè colligere potes, quanti momenti & pretii res ſit finis tuus ultimus, cùm ipſa infinita ſapientia

operæ pretium esse indicet, tot ac tanta media homini subministrare, ut hunc assequi possit, & velit: concludes, si nihilominus salute excidas, te coram tribunali supremi Judicis inexcusabilem fore, cùm tanta copia mediorum præstantissimorum tibi ad manus fuerit: si pereas, unicè ex culpa propria peribis. *Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum* Os. c. 13. Lauda bonitatem DEI, & summas rependе gratias, quòd tam liberaliter in te effuderit pretiosissimum thesaurum tot gratiarum, & mediorum, quibus adjutus facilè tuam salutem operari, ac consequi possis: roga illum impensè, tot gratiis hanc addat, ut his gratiis ad eum utaris finem, in quem tibi eas Deus contulit.

2. Ex tot & tantis mediis, edic quot, & quantis non usus, vel omnino abusus es? fortè his ipsis stravisti tibi viam ad perditionem? Inter naturalia media primo loco censenda venit sanitas, & vires corporis, an has non impendisti ad explendas sordidas cupiditates? usus es ingenio, & hujus acie ad peccandum magis occultè, circumspectè, & astutè, atque ideo etiam magis liberè, omni timoris fræno excusso? abusus es doctrinâ tuâ ad propugnandas sententias in re morali laxiores, suspectas, periculosas, proscriptas; divitiis ad inducendos alios, ut obsecundarent tuis desideriis, sinistris propositis, & designationibus; quo-

vis

vis corporis ſentu ad offendendum illum, qui tibi hos integros non mutilos, aut mancos conceſſit: creaturis omnibus, ut bellum moverent ſuo Creatori. Mediis ſupernaturalibus eodem modo uſus, imò abuſus es. Cognitio infinitæ bonitatis & miſericordiæ tibi animos addidit ad audentiùs peccandum ſpe veniæ haud difficulter obtinendæ: obturâſti aures vocanti Deo ex temeraria præſumptione, abundans tibi ſupereſſe tempus, quo ad Deum per pœnitentiam adhuc ante mortem redire poſſis, deridiculo habuiſti probos, ſubſannâſti eorum innocentem & exemplarem vivendi modum, correctiones paternas excuſſiſti, Sacramenta prophanâſti, preces neglexiſti, præſumptuosè ac temerariè præfidens in Sanctorum patrocinio, ipſum Deum coëgiſti ſervire tuis iniquitatibus: audi Deum per os Iſaiæ Prophetæ ita contra te lamentantem: *Servire me feciſti in peccatis tuis; præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis* c. 43. Ingenti pudore ſuffundaris oportet, ubi in tuo hactenus ſervato vitæ tenore tantam confuſionem & rerum perturbationem, tot creaturarum, quin & ipſiusmet Creatoris fœdos abuſus obſervaveris? fortaſſis tibi tot adminicula & media tam liberaliter fuerunt ſubminiſtrata, ut ea prodigè diſſipares & ad paſcendas tuas cupiditates abligurires? ut te non adjuvarent, ſed eſſent in muſcipulam? te dementarent, & à fine

tuo revocarent? quando finem accipiet hæc contentio, te, & Deum inter? Deus contendit te omni ope adjuvare, ut salveris: tu omnibus nervis contendis abuti suppeditata ope, ut pereas. Pudeat te ingratitudinis tuæ, stupeas ipsemet insensibilem stupiditatem tuam: detestare stultam prodigalitatem tuam, quâ hactenus tot ac tam pretiosos thesauros abjecisti, quibus tibi facilè comparare potuisses regnum æternarum deliciarum. Fixum itaque tibi, ratúmque esto, hoc animi propositum, imposterum mediis tibi à Datore bonorum omnium Deo concessis non abutendi contra ipsum, ad ipsum offendendum, sed utendi ad serviendum ipsi in vita, & ipso fruendum post vitam æternùm in cœlis.

Punctum tertium.

Considera conclusiones practicas, quæ ex duobus præcedentibus punctis deduci debent, quas S. Ignatius sat clarè insinuavit sequentibus verbis: *unde sequitur, utendum illis, vel abstinendum catenus esse, quatenus ad consecutionem finis vel conferunt, vel obsunt.* En itaque ternas conclusiones attentè ponderandas: prima est, media tractanda & respicienda ùt media, finem ùt finem. secunda, cor non affigendum rebus ad consecutionem ultimi finis indifferentibus, &

nihil

nihil conferentibus. tertia: omnia illa fortiter amplecti, quæ ad consecutionem finis ultimi prosunt, è contrario illa omnia repudiare, quæ consecutionem ultimi fin impediunt.

1. itaque media respicienda & adhibenda ùt media, finis considerandus ùt finis, neque imitandum exemplum hominum sæcularium, de quibus divus Augustinus, de civit. Dei. l. 11. c. 2. ita loquitur: *utuntur Deo, & fruuntur mundo.* Mundus & omnis res mundi, sunt mera media, nec iis aliter utendum, quàm ut per hæc ad Deum pervenias, qui solus & unicus est finis, & quidem ultimus. Si aliâ incedas viâ nunquam ad veram cordis quietem ac pacem pervenies; hoc enim, ut te propria docuerit experientia, nunquam quiescet, usque dum ad Deum suum pervenerit, & in ipso quieverit: crede Augustino lib. 1. Con. c. 1. dicenti: *Fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Res nulla quietem invenit, nisi in suo fine, ad quem creata est. Res graves inquietæ sunt tamdiu, quamdiu non junguntur suo centro; flamma tamdiu tremula sursum anhelat, donec ad suam sphæram evolet: flumina tamdiu rapido agitantur cursu, donec stagnis, vel ipsi tandem mari infundantur. *Avis ad volandum nata*, ùt Job. c. 4. ait, caveæ inclusa, nunquam erit quieta,

quantumvìs cavea artificiosè elaborata, ex vimine aureo compacta, & gemmis hinc inde exornata, in aulis & cubilibus regiis suspensa sit, quantumvìs ipsi de grato & delicato cibo liberaliter, ac sedulo prospectum sit, semper irrequieta, & in assiduo motu est; nec ulla res, quæ ad volandum creata est, contenta erit, si volandi libertate privetur: nec res ulla eum, qui ad Deum & propter Deum factus est, pacare & satiare potest, si procul remotus est à Deo. Sis nobilis, sis dives, abundes deliciis & voluptatibus: gaudeas Ecclesiasticis beneficiis, dignitatibus, proventibus, infulis ac pedis, pluribus quàm desiderare possis: si etiam Romana ornareris purpurâ, si pontificia coronareris tiarâ, & Petri solium conscenderes, tamen tam longè aberis à vera quiete & pace animi, quàm longè aberis à Deo. Cordis tui tam vasta est capacitas, ut satiari non possit ab alio, quàm à Deo, qui est bonum infinitum & immensum: ad Deum ergo erige & dirige omnes tuos affectus, respice illum ùt tuum finem: reliqua omnia considera tanquam mera media ad consequendum finem ordinata, nisi pudendam velis committere temeritatem, & totum divinæ providentiæ ordinem, quo te ad salutem, & æternam quietem perducere decrevit, evertere.

2. Nunquam amoris aliquid concedes rebus

rebus de se indifferentibus, & dubiis, an ad consequendum tuum finem ultimum, ad quem creatus es, prosint, vel obsint. Ignoras, an ad salutis consecutionem sanitas potiùs, quàm infirmitas; an divitiæ potiùs, quàm paupertas; an prosperitas potiùs, quàm adversitas profutura sit: salutem æquè consequi potest sanus ac ægrotus, pauper ac dives, infortunatus & contemptus, quàm fortunatus, & honoratus: æqualiter ergo te oportet esse affectum tam ad unum, quàm ad alterum hujus generis statum; quinimò Deum enixè rogare convenit, ut te ad illud vivendi genus dirigat, in quo ex infinita sua scientia prævidet, te salutem consecuturum: protestare coram Deo sincerè, te nec sanitatem, nec divitias, nec prosperitatem desiderare, si tibi forent impedimento obtinendæ æternæ salutis: pete ut te affligat morbis, paupertate, adversitatibus, siquidem prævideat, has tibi fore gradus ac scalam ad cœlum, & felicitatem æternam indipiscendam. Viator viæ, quæ ducat in patriam, ignarus ad bivium delatus hæret suspensus, nec ad dextram potiùs, quàm ad sinistram partem inclinat, licèt longè amœnior & lenior videatur dextera, sinistra verò ardua & salebrosa; quinimò sinceras agit gratias illi, qui veram sibi viam ad patriam monstrat, etiamsi sinistram difficilem sentibus obsitam indicaret. Quid tibi prodessent honores,

divitiæ, deliciæ, si interea aberrares à via salutis? non tamen ideo vetitum est, modis licitis sibi procurare bona temporalia, non prohibentur actiones de se indifferentes, quales sunt se litterarum studiis impendere, somnum, cibos capere, mentem curis & laboribus fessam divertere, recreare, ex quibus plurimæ necessariæ sunt pro conservatione humanæ conditionis: sed tibi incumbit, ut has actiones per meliorem mentis intentionem ad sublimiorem gradum, ad meritum evehas juxta Pauli monitum 1. Cor. c. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Quàm magnum meritorum cumulum non congregâsses, si toto, quo vivis tempore hoc Pauli monitum secutus fuisses: poteras vile lutum ope hujus piæ Alchimiæ mutare in aurum obrizum; & tanto thesauro nemo alius te privavit, quàm supina tua negligentia, vel ignorantia.

3. Toto conatu, viribus & nervis omnibus tibi contendendum est ad consecutionem finis tui ultimi, quidquid boni est, amplectendô & quidquid mali est, repudiandô, omnibus laqueis, ac vinculis disruptis, quæ te à cursu impedire, & à via salutis abstrahere possent, quantumcunque aliàs tibi grata, & ipsis oculis chariora forent: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Matth. c. 5. Reseca tot affectus inordinatos, conculca tot respe-

respectus humanos, extrica te tot inutilibus negotiis, prima & præcipua tua cura sit, quærere & curare salutem animæ. Tu vir Ecclesiastice, sæpius hoc ipsum inculcâris aliis, cur hoc salubre consilium non tibimet suggeris! Ergóne semper similis esse voles ligneis, vel marmoreis illis stellis ac Mercuriis in bivio erectis, qui viatoribus regias & rectas vias demonstrant, ipsimet verò has nunquam ingrediuntur, nec loco moventur? Ergóne tam amens eris, ut aliis viam ad astra pandas, januam aperias, & ipsemet non ingrediaris. *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* Cant. 1. Ne committas solennem hanc dementiam, ut momentaneo temporis frustillo maximam curam & solicitudinem, æternitati verò vel nullam, vel minimam & ultimô locô impendas: *Caveamus, ne perversione iniquâ impendamus brevi tempori curam maximam, & maximo tempori curam brevem*, sunt ipsissima verba S. Eucherii. Pro coronide huic meditationi subjunge sequentem orationem, quam Ecclesia subministrat. *Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce sic pertranseamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Per Christum Dominum nostrum Amen.*

Dies

Dies Prima

Meditatio Secunda.

De fine hominis ad ſtatum Eccleſiaſticum vocati.

POſt conſuetam orationem præparatoriam ſequentia duo præludia meditationi præmittes.

Imaginare tibi Deum in ſua Eccleſia varia diſtribuere officia, & gradus honorum, unum altero ſublimiorem: vult enim in hac ſua Eccleſiaſtica Hierarchia eſſe ſubditos & ſuperiores, qui imperent, & qui obediant: ſeligere proin aliquos ex toto fidelium numero, quos variis privilegiis & prærogativis affectos ſupra Laicorum vulgus evehat, & in altioribus dignitatum gradibus, Sacramento Ordinis competentibus conſtituat; his characterem imprimat indelebilem; hos in varias claſſes dividat; his varia officia, ac miniſteria demandet, omnia Sancta, & Sacroſancta, inter ſe tamen connexa, & unum alteri ſubordinatum eo ferè modo, quo in Hierarchia cœleſti exactiſſima inter Angelicos Spiritus obſervatur ſubordinatio.

In

In 2. pete à Deo lumen ad cognoscendum finem, ob quem à Deo vocatus es ad statum Ecclesiasticum; pete gratiam, ut tam sublimi statui ac fini ex æquo respondere & satisfacere possis: exhortare temetipsum verbis illis, quibus suum Timotheum olim hortabatur Paulus 1. ad Timoth. c. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi in impositione manuum presbyterii.* Et hæc pariter sit oratio jaculatoria, qua hodie utaris. Divide meditationem in hæc tria puncta, quis sit Ecclesiastici statûs finis 2. quanta hujus sublimitas. 3. quæ media?

Punctum Primum.

Considera duplicem finem, quem tibi præfigere debes, quando in statu Ecclesiastico te Deo devoves. Audi Paulum Apostolum ad Hebræos c. 5. de Sacerdotio, & aliis inferioribus huic subordinatis Ordinibus ita scribentem. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum.* En duos Ecclesiasticis præfixos fines; unus Deum, alter proximum respicit. Primum negotium, cui manus admovere Ecclesiasticus debet, est obsequium & cultus Dei: *In iis, quæ sunt ad Deum.* Secundum, ut Proximum juvet: *pro hominibus.*

1. DEUS te vocavit ad statum Ecclesiasticum, ut Deo servires *in iis, quæ sunt ad Deum*, nempe ut Deum laudes decantandô, vel recitandô psalmos, alias preces fundendô, sacrificium incruentum offerendô, &

aliis

aliis functionibus sacris invigilandô. An hunc tibi scopum & finem proposuisti statim ab initio, quando Ecclesiasticæ militiæ nomen dedisti? fortassis te movit desiderium commodioris vitæ, aviditas lucri temporalis te & tuos ditandi, spes consequendi pinguis beneficii, assurgendi altiùs, ad dignitatem Ecclesiasticam eluctandi, & aliis te inferioribus imperitandi, vel quodcunque aliud motivum vanum, terrenum & mundanum? O vir Ecclesiastice! si tam viles causæ te moverunt ad suscipiendos sacros Ordines, altiores & meliores sint, quæ te moveant ad progrediendum, & perseverandum in tuo statu sacro. Rejicitur à Christo juvenis ille, qui se offerebat ad sequendum, quocunque præiturus esset, non aliam ob causam, quàm quòd finis, quem spectabat hæc generosa sequelæ promissio, erat prava intentione vitiatus, ut observat S. Augustinus Serm. 7. de verbis Domini, avaritiâ nimirum & ambitione: avaritiâ quidem cùm videret largas eleemosynas à fidelibus offerri Christi discipulis & Apostolis; ambitione verò, dum vidit varia patrari prodigia à Christi sequacibus, cum tanto applausu, & admiratione patrantium. Si quidem conscientia tua te similis erroris accuset, & convincat, in electione vitæ Clericalis, ut hunc emendes, ita Deum tuum alloquere: O Domine, multò libentissimè etiam in hoc

statu

sta u meo Ecclesiastico vitam ducam pauperrimam, ab omnibus despectus & neglectus: totus meus thesaurus erit gratia tua; gloria, & honor meus maximus erit, quòd me in tuum servitium, in numerum fidorum servorum, imò familiarium & intimorum amicorum, ad ipsas sacras aras admiseris.

Sed quomodo hactenus huic tuo fini, tibi à Deo præfixo, dum te ad Clericalem statum vocavit, respondisti? quomodo quotidianum pensum precum Canonicarum persolvisti? quomodo incruentum sacrificium Deo ad aram obtulisti? quo fervore, decore, animi præsentiâ, attentione internâ & externâ reliquas tuas functiones Ecclesiasticas absolvisti? Cùm in choro psalleres, vel ad aram caneres, cùm publicas processiones duceres, mortuos ad sepulchrum comitareris, vel Sacramenta administrares, quâ id egisti intentione, ratione, modo? habes cur meritò erubescas, si impios, sacrilegos, sacrorum ministeriorum prophanatores Heli filios hac ex parte imitatus es; *Filii Heli, filii Belial, nescientes dominum, neque officium Sacerdotale.* 1. Reg. c. 2. pari cum ipsis pœna dignus, vitâ & Sacerdotiô pariter privandus esses, sed immensa Dei bonitas te hucusque toleravit, tibíque hoc Sacrorum exercitiorum tempus benignè indulsit, quo commodè uti possis ad mutandam vitam, & vitæ methodum. Cave imposterum, ne illis annumerari debeas Clericis,

de

de quibus divus Prosper non sine lachrymis conquestus est, quòd ad sacerdotium aspirent & indeptô utantur; *non ùt meliores, sed ut ditiores, non ut sanctiores sed ut honoratiores sint.* Lib. de vita contemplat, c. 21.

2. Secundus finis, quem tibi Deus ad presbyteri dignitatem te evehens, præfixit, concernit utilitatem spiritualem proximi: *omnis Pontifex pro hominibus constituitur.* Ita ad Aaronem, & in Aarone ad omnem Sacerdotem dictum est: *Elegit ipsum ab omni vivente offerre sacrificium DEO, & placare pro populo.* Non enim satis est per tuas Sacerdotales functiones Deum colere, sed insuper exigitur, ut proximi salutem promoveas administrandô Sacramenta, prædicandô verbum divinum, explicandô rudibus doctrinam catecheticam, sive Christianam, suggerendô bona consilia; dubios dirigendô, omnibus præclarô illibatæ vitæ exemplo prælucendô, & pro omnibus sæpiùs divinam hostiam offerendô. Finis iste sublimissimus, ad quem te præelegit benignitas Salvatoris nostri JEsu Christi, sapit divini aliquid, divô Dionysiô Areopagitâ Judice, censente *divinorum omnium divinissimum esse, cooperari Deo in salutem animarum.* Electus & evectus es ad eam dignitatem, ut Dei adjutor, & aptum in Dei manibus instrumentum sis ad salvandos populos; *Dei adjutores sumus* scribit Paulus ad suos Corinthios 1. c. 3. sed instrumentum, nisi causæ suæ principali arctè sit

con-

conjunctum, nunquam concurrere poterit ad producendum effectum desideratum; scalprum, nisi manibus artifex arctè stringat sed extra has in scamno jaceat otiosum, nunquam ex ligno vel lapide extundet statuam. Et tu, nisi Dei manibus hæreas & regaris, qui prima & principalis causa est omnis sanctificationis, & sanctitatis, nisi Deo sis unitus per gratiam, & charitatem, nunquam eris instrumentum aptum ad convertendos ad Deum homines, nec vivas elegantésque illas unquam ex nodosis truncis, vel duris lapidibus exsculpes statuas, quæ in ornamentum perpetuum in cœlesti aula collocentur.

Miserum te, si ad eum honorem elevatus, ut esses instrumentum Dei, potiùs instrumentum diaboli esse voluisti: tuum erat officium monstrare animabus viam salutis, & per hanc illas ducere; & tu ostendisti, & præivisti illis viam perditionis: debebas illis recludere januam Paradysi, & tu ipsis aperuisti bipatentes orci portas. Quoties illis fuisti petra scandali, & causa perditionis lenitate doctrinæ, & longè magis vitæ dissolutis ac perversis moribus, in omnem audaciam, & effrænem libertatem effusis verbis, & factis, pessimis exemplis, & pejoribus consiliis. Debes Deo an mas complures, præsertim tuæ custodiæ, & curæ commissas, quas ex ipsius DEI sinu avulsas, dæmoni authorâsti, & forsan non una ex his in infer-

ni barathrum detrusa; jam nunc clamat & petit vindictam contra te. Si ille, qui alteri furatur, vel aufert aliquid ex bonis fortunæ, vel famæ, omni jure obstringitur ad restitutionem, & resarciendum damnum, tu, qui abstulisti, & furatus es animabus Deum, & Deo animas, tibi persuadebis, te non obstringi ad restitutionem, vel ad resarcienda tam enormia damna?

Punctum secundum.

Considera summam dignitatem sacerdotalis statûs, ad quem à Deo vocatus es, vî cujus sacerdos particeps redditur excellentium privilegiorum, virgineæ Christi Matri concessorum; deinde etiam prærogativarum & proprietatum ipsimet divinitati competentium. Primæ concernunt potestatem in Corpus Christi physicum; secundæ potestatem in Corpus Christi Mysticum.

1. Potestas per consecrationem sacerdoti collata in Corpus Christi physicum, hunc B. Virgini, & Matri Christi similem facit: hæc quinque illis verbis: *fiat mihi secundùm verbum tuum*, Verbum æternum è sinu divini Patris in virginalem suum uterum detraxit: sacerdos quinque illis operatoriis verbis: *hoc est enim corpus meum* è cœlo Dei Filium in suas manus descendere cogit, illum subinde in ipsa viscera recepturus. Mariæ operâ effectum est, ut Deus carne vestitus oculis

cerni

cerni posset: *fecit ut Deus inter homines videretur*, ait S. Ambros. de obitu Theodos. sacerdos facit ut Deus speciebus Eucharisticis tectus, se nobis præbeat visibilem. Si virgineaMater, ùt complures Theologi docent, tanquam causa activa concurrit & influxit in productionem Christi Dei hominis, & ùt alii volunt, in ipsam etiam unionem hypostaticam verbi Divini cum sacrosancta Humanitate redemptoris; sacerdos similiter juxta complurium Theologorum opinionem tanquam causa efficiens concurrit in reproductionem Christi, & illius qualiscunque connexionis, quam Christus habet cum speciebus Eucharisticis. Imò sacerdotis prærogativæ videntur certô modô superare prærogativas Divinæ matris; sacerdos enim sæpius, & dietim facit, quod virgo non nisi semel fecit: Maria vi solorum suorum verborum non concurrit ùt causa effectrix in productionem Christi, prout tamen concurrit sacerdos. Christus materno in utero nutriebatur virgineo Mariæ sanguine: in manibus sacerdotis fit hujus, & aliorum cibus cælicus & Angelicus. Mariæ obediebat verbum incarnatum, dum adhuc versabatur in terris, mortalis adhuc filiusfamilias, ac subditus, qui necdum suam Majestatem, & divinitatem mundo palàm fecerat ac demonstraverat; sacerdoti nunc obedit jam immortalis, pati nescius, gloriosus, pro Deo agnitus, & adoratus in cœlo, terra, &

inferno: auditis consecrationis verbis sine mora se in sacerdotis manus demittit Majestas Divina, séque præsentem sistit in omnibus consecratis panis buccellis à sacerdote animo designatis: his inclusus se totum arbitrio sacerdotis permittit, nunc elevandum, nunc deprimendum, nunc variis crucibus signandum, nunc hierothecis includendum, nunc in sacra synaxi distribuendum. Sed quod summè admirandum, potestas hæc conceditur, non tantùm probis sacerdotibus, sed etiam improbis, impiis, peccato mortali obstrictis, Dei inimicis, sacerdotibus, qui dum ipsum sacrum Mysterium peragunt, & sacrilegis contrectant manibus, conspurcant altaria, & abominandis contumeliis Deum afficiunt, ipsô tremendô Mysteriô ad turpissimos fines ordinando, & impiè abutendô. O ineffabilem dignitatis sacerdotalis excellentiam! ad quam te Deus evexit: tu itaque obstringeris, ad imitandas, & presso pede sequendas excellentissimas divæ Virginis virtutes omnes, imprimis verò, ejus humilitatem, profundissimam animi demissionem, & omnis labis expertem puritatem, cùm ipsamet humilitate placuerit, virginitate conceperit.

2. Potestas sacerdoti in corpus Christi mysticum, quod sunt fideles, à Deo concessa, ipsi Deo eum facit similem. Sacerdotes in lege Mosaica sæpissimè & in variis Scripturæ locis, præsertim in Exodo cap. 21.

&

& 22. vocabantur *Dii*, non alia de causa, quàm quòd prodromi & figuræ essent sacerdotum novæ legis. De Melchisedech rege Salem, qui Deo sacrificium panis & vini offerebat, ait Apostolus ad Hebræos c. 7. *assimilatus est Filio Dei.* Quantò magis tam excelsus titulus competit nostri ævi sacerdotibus in lege gratiæ, quàm illis in lege Mosaica, vel naturæ: illis à Deo concessa est potestas vera & illimitata remittendi peccata: *quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* Marc. 2. Murmurabant olim pharisæi, scandalum sibi sumen es, cùm viderent, à Salvatore peccatores à contractis peccatis absolvi. Sed hanc supremam potestatem delegavit Christus omnibus sacerdotibus, cum indubitata promissione, se ratum habiturum in cœlis, quidquid ipsi judicâssent, absolvissent, vel ligâssent in terris. Sacramentorum formulæ semper veritati consonæ, sunt signa practica, operantur id, quod significant. Hinc quamprimum sacerdos pœnitentem his verbis alloquitur: *Ego te absolvo*, mox omnibus expeditur peccatorum laqueis, modò nullum obstaculum ponat ipse reus: in ictu oculi mutatur ex teterrimo dæmone, in pulcherrimum Angelum. Stupenda auctoritas sacerdotalis, cui tanta potestas concessa est, quæ aliàs soli Deo congruit! Quis unquam ex principibus hujus mundi tantam potestatem etiam dilectissimo, & fidissimo ex suis aulicis contulit, ut omnium rerum arbiter,

pro suo libitu disponeret de omnibus & singulis regni sui negotiis, si ageretur etiam de suo principis honore, bono nomine ac fama, de offensis, & delictis gravissimis, etiam de criminibus læsæ Majestatis? Perpende igitur, quanta, quàm sublimis sit dignitas, ad quam te vocavit, & exaltavit Deus. Ah cave, ne unquam prostituas, & conspurces tam splendidæ dignitatis sublimem gradum, ùt opportunè monet S. Leo serm. de Nativ. Domini: *divinæ consors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.*

Punctum tertium.

Considera media, quæ Deus tibi subministrat, ut tibi ad manum sint ad consequendum altissimum finem Ecclesiasticis constitutum, & implendam strictam obligationem hinc ortam reddendi exactam de his omnibus rationem.

1. Ministeria sacra & functiones tuæ omnes media sunt, ut ad insignem probitatem morum, & sanctitatem elucteris, & ita Dei gloriam, & proximi salutem procures. Status Clericalis sibi annexam habet obligationem sæpiùs per exhomologesin expiandi animam, sæpiùs adeundi sacram Synaxin, vel ad aram faciendi; frequentiùs & diutiùs orationibus insistendi; pios libros lectitandi, aliis prælucendi bonô exemplô, pravos

vos socios, & periculosas societates cautè fugiendi. His annumeretur vigil superiorum Ecclesiasticorum oculus supra clericos subditos; addantur sacri Canones, præcipuè *de vita & honestate clericorum*: statuta & decreta synodalia; studium litterarum perpetuum, per quod fugatur otium, & his immersus animus facilè à pravis cogitationibus, aliisque peccatorum illiciis avertitur: vestitus modestus & decens, votum castitatis, horarum Canonicarum recitatio præcepta, largitio eleemosynarum ex illis, quæ superflua sunt, & ultra congruam, statuíque tuo convenientem sustentationem abundant.

Edic: quomodo hucusque his mediis præstantissimis usus es? quem profectum seu fructum ex horum usu retulisti? ex tot gratiis tibi concessis hausisti, quæ inter sæculares distributæ fructum centuplum protulissent? enumera, profer fructus collectos ex lectione tot librorum piorum, ex auditione tot concionum, ex recitatione toties iterata horarum Canonicarum, aliarúmque precum persolutione: ex tot sacrificiis celebratis, ex tot fraternis correptionibus vel acceptis à superioribus, vel inferioribus à te datis! quàm grande scandalum non erat hoc sæcularibus, quàm turpis ingratitudo erga Deum! eò gravior fuit culpa tua, quò majores fuerunt gratiæ tibi concessæ, quò plura media tibi subministrata, quò sanctiores tuæ functiones; quò strictior tua obligatio: *Nul-*

lum majus præjudicium ab aliis, quàm à sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correptionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui peccata compescere debuimus: ita loquitur S. Greg. hom. 17. Jure Deus conqueritur Psal. 45. his verbis: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu verò homo unanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos &c.* Si homo sæcularis, mundo addictus, & amicus peccat; viro Ecclesiastico comparatus, minùs, imò vix peccare censendus, & commiseratione potius, quàm pœnâ dignus esse videtur: quin sæcularis errorem suum facilè excusat, & culpam elevat, hanc in pravum exemplum, quo Ecclesiasticus sibi præivit conjiciens: sic Jerem. c. 3. se exculpat Israël: *Justificavit animam suam aversatrix Israël comparatione prævaricantis Judæ.*

2. Hinc facilè colliges, quàm districtam rationem à te de omnibus tuis culpis, & defectibus Divinus Judex sit exacturus. In more positum habet hic Judex, multum exigere ab illo, qui multum accepit; *cui multum datum est, multum requiretur ab eo.* Nadab, & Abiud recèns inaugurati sacerdotes levitico suo officio initium facturi, thuribulo suo imponunt ignem prophanum, non sacrum, & à Deo institutum; & subitanea morte puniti corruunt ob hunc unum contra ceremonias in lege Mosaica præscriptas, à novitiis his sacerdotibus admissum defectum:

tum: Oza pariter non aliud ob delictum inexpectatâ morte sublatus est, quàm quòd Arcam testamenti titubantem & in lapsum pronam temerè, & minore quàm decebat, reverentiâ, extensis manibus contrectaverit, & sustentaverit: si hæc divinæ severitatis exempla tibi justum incutiunt metum, quantò majorem & justiorem tibi incutere debet, ne furor Domini contra te exardescat, si sacros ritus præscriptos, & præceptos non tantùm irreverenter negligas, sed etiam contemnas in sacris ministeriis; si in thuribulo cordis tui non prophanum tantùmmodo, & vanum ignem, sed fœtentes concupiscentiæ & cupidinis flammas ad sacrum altare offeras? Est, est, cur meritò metuas, ne Deus in te compleat, horrendas illas minas, quas apud Malachiam prophetam c. 2. fulminavit in omnes sacerdotes, qui sacra prophanarent, & indignè tractarent: *Maledicam benedictionibus vestris, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.* Veniam pete, tibíque à Deo ignosci roga, quidquid contra reverentiam, sacrorum ministeriorum excellentiæ debitam admisisti, vel omisisti, simúlque tibi gratiam uberem deposce imposterum ardentiùs & diligentiùs, prout vocationis tuæ sublimitas exigit, Deo serviendi.

Omnipotens sempiterne Deus, qui me peccatorem sacris altaribus adstare voluisti, & sancti nominis tui laudare potentiam,

concede propitius meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ Majestati dignè merear famulari per Christum Dominum nostrum.

Dies secunda

Meditatio tertia.

De gravitate peccati mortalis.

UT finem tam creationis quàm vocationis consequaris, necessarium est, peccatorum obstacula è medio tollere: ob quam causam hodie sequentes meditationes assignantur.

Præmissæ orationi præparatoriæ consueta hæc duo præludia subjunges.

In primo imaginare tibi animam prævaricatricem tot catenis, quot peccatis à dæmone constrictam, hujus miserabile mancipium ab hoc tyranno cruento ad marginem usque infernalis barathri raptari: Deum illam contueri ùt inimicam; ipsam verò enervem, & omnibus viribus ad rumpenda vincula necessariis destitutam hærere attonitam.

In secundo: insta & ora Deum, ut suum tibi lumen concedat, quo illustratus gravitatem peccati mortalis ritè ponderes & agnoscas, ut det oculis tuis lachrymas, queis peccata tua amarè defleas; vires manibus

ad

ad dirumpenda vincula, & conterendos laqueos, quibus fortè ligatus es & dæmonis captivitatem effugiendam. In hunc finem cum Davide Psal. 24. in hæc verba prorumpe: *oculi mei semper ad dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.*

Et siquidem divina misericordia peccatorum laqueis te jam extricavit, in gratitudinis signum Deum his verbis Psalmi 123. alloquere: *anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus: adjutorium nostrum in nomine Domini.* Et hæ sint pariter orationes jaculatoriæ hoc tempore antemeridiano.

Meditatio distribuitur in tria hæc puncta 1. Malitia & gravitas peccati mortalis in se ipso considerati. 2. Considerati in suis effectibus. 3. Considerati in pœna, & suppliciis.

Punctum primum.

Considera peccatum mortale in seipso, & sua natura. Peccatum mortale vera est & gravissima offensio à nobis Deo facta. Ad ritè cognoscendam, & ponderandam offensæ hujus gravitatem mensura ac trutina sanctuarii sumenda est, & accuratè perpendenda sunt hæc tria: 1. offensoris vilitas, 2. offensi dignitas 3. offensæ qualitas.

1. Offensor est homo, qui si quoad corpus

pus ſpectatur, nihil aliud eſt quàm luteum vas ſtercorum, receptaculum omnium immunditiarum, futurum in ſepulchro pabulum vermium. Si quoad animam conſideretur, inveniemus equidem hominem præditum intellectu, ſed per peccatum craſſis ignorantiæ tenebris obſcurato; voluntate, ſed ab omni rectitudine, & normâ boni deflexâ, ad omne malum pronâ, ac proclivi; impreſſam quidem ſibi adhuc gerit imaginem DEI, ſed adeò per peccatum deformatam, & propè eraſam: ut vix tenuia ſuperſint veſtigia. Ex ſe homo fuit nihil, & ſingulis momentis relaberetur in abyſſum ſui nihili, niſi Deus eum pergeret conſervare. Ex ſe nec palpebram attrahere, nec oculo nictare, nec labra movere, nec feſtucam de terra tollere poteſt, niſi Deus vires conferat, cooperetur, & ſimultaneum concurſum addat. Si hominem cum Deo conferam offenſo, o quanta diſparitas & diverſitas! totum genus humanum Deo comparatum eſt merum, purum putum nihil. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei.* Iſai c. 40. Quid erit homo unicus, & ſolus? *ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Pſ. 38. Parvi penditur jactura unius militis ex toto exercitu, unius civis in urbe populoſa ob nimiam inæqualitatem unius cum tot aliis. Mathematici aliàs tam accurati menſores, globum terræ, ſphæræ cœli Empyrei

com-

comparatum, intra puncti magnitudinem constringunt & nihilominùs hæ comparationes non omni inter se carent proportione, cùm harum utrinque termini sint finiti. Quid jam erit homo, Deo comparatus, cùm unius ab altero sit infinita distantia, & finiti ad infinitum nulla proportio? verba desunt, quibus satis exprimi possit vilitas & depressio hominis ita considerati. Ego itaque, qui fui purum nihilum, qui puncto minor sum, qui ero esca vermium, qui nullum esse habeo, & postquam alienô beneficiô hoc accepi, tamen omnis facultas vel minimum quid operandi deest, nisi DEUS mecum, in me, & per me operetur, insurrexi contra ipsum Altissimum! ego perfidum, & rebelle mancipium, ut excusso jugo liberè proprio indulgerem genio! & quî fieri potuit, ut eò audaciæ pervenirem? Quod barathrum proportionatum, & satis profundum erit ad absorbendam culpæ meæ enormitatem?

2. Qui offensus est, Deus est infinitè potens, infinitè sapiens, infinitè bonus. Infinitè potens, cui famulantur Angeli, serviunt elementa, abyssi obsequuntur, & contremiscunt, qui verbô unicô omnia ex nihilo protraxit, qui nutu unico omnia in antiquum chaos, ac nihilum rursus præcipitare potest. Summa temeritas, perfricta fronte se DEO omnipotenti opponere. *Contra omnipotentem roboratus es* Job. 15. qui omnia scit, omnia

per-

perſpicit, intima rimatur, corda & renes ſcrutatur, quidquid in ſecretiſſimo cordis angulo abditum deliteſcit, penetrat: *poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſæculum noſtrum in illuminatione vultûs tui.* Pſal. 89. Indigniſſima iniquitas, in faciem inſultare tam palmaribus injuriis onerato Deo! ſpernere, conculcare Deum infinitè bonum, qui cognitus remotò velô à facie ad faciem, cœlicolis dulcem neceſſitatem imponit ipſum amandi. Cùm in ſe contineat omne bonum, meretur, ut quidquid agitur, propter ipſum agatur; omnia corda amore ipſius colliqueſcant; omnium vitæ, tanquam holocauſta propter ipſum conſumantur: tam munificus, ut in omnes, etiam crudeliſſimos ſuos inimicos, eo ipſo, quo in ipſum furunt, tempore integros beneficiorum, & favorum theſauros liberaliter effundat. Diabolica malitia, offendere tam atrociter DEUM tam bonum, & ideo tam atrociter offendere quia eſt tam bonus, & quia tam clementer cruentis hoſtibus palmares, quibus eum obruunt, injurias condonat. Fateor optime Deus! ſpes tam facilem iterum obtinendi à te veniam meorum delictorum animos, ne dicam ſtimulos, mihi addidit ad iteranda, & cumulanda peccata peccatis, ſed nunc alia, & melior ſpes animos, & juſtos ſtimulos mihi addit ad implorandam tuam clementiam, *ſecundùm miſericordiam tuam memento mei tu propter*

ter bonitatem tuam Domine, propter nomen tuum propitiaberis peccato meo. Ps. 24.

3. Offensa Dei complectitur, quidquid offensarum est, vel excogitari potest. Est inobedientia; nam omnis peccans transgreditur legem; est injustitia; nam omnis peccans utitur creaturâ tanquam re suâ propriâ contra voluntatem Domini, nempe Dei: est ingratitudo; nam omnis peccans reddit Deo pro bono malum & ipsamet beneficia accepta à Deo, vertit in instrumenta lacessendi Deum. Est contemptus DEI, nam omnis peccans postponit Deum creaturæ, & ipso facto loquens in faciem exprobrat, se parùm curare ejus indignationem, se ejus supplicia non timere; oblata præmia ridere. Est rebellio; nam omnis peccans est Dei subditus, contra hunc insurgit, jugum excutit, subesse, & eum pro domino agnoscere recusat. Est crudelitatis quædam species affectu & effectu: Affectu quidem, quia omnis peccator si non expressè, saltem tacitè & interpretativè optat destructionem ipsius Dei, & divinarum suarum proprietatum, omnipotentiæ, justitiæ, sapientiæ, ùt Bernardus ait: *vellet Deum peccata aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire.* Ipso autem effectu; quia peccatum in monte Calvariæ Christum, Deum hominem vitâ exuit, hinc meritò quivis peccator deicida, & Christi crucifixor vocari potest. En igitur horrendos ausus meos, quos commisi, dum peccavi!

vi! cur me terra non absorbuit, cur reliqua elementa contra me non conjuraverunt, & junctis viribus suffocaverunt? cur cœlum in me non mille excussit fulmina? quî fieri potuit, ut patientia divina non exhauriretur, misericordia non fatigaretur, sed ad pœnitentiam me servaret, & invitaret? laus itaque & honor Divinæ clementiæ, è cujus sinu bini scaturiunt fontes, lactis, nempe *longanimitas in expectando, & facilitas in condonando.* S. Bern. in Cantic.

Punctum secundum.

Jam considera peccatum grave in suis effectibus, qui sunt; amissio gratiæ divinæ, jactura habituum supernaturalium & meritorum toto vitæ tempore collectorum.

1. Per peccatum grave deperditur gratia sanctificans. Æstimari satis non potest damnum, quod per hanc jacturam incurritur, nisi prius sciatur pretium divinæ gratiæ: est itaque hæc gratia divina, participatio quædam naturæ Divinæ, vi hujus nexûs illud, quod Deo per suam essentiam est substantiale, fit humanæ animæ accidentale, ùt Doctor Angelicus 1. 2. q. 116. art. 2. cum reliquo Theologorum choro docet, quam suam doctrinam hauserunt ex secunda Epistola S. Petri c. 1. ita loquentis: *maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ con-*

sor-

sortes naturæ. Hæc gratia est quædam similitudo, & imitatio communicationis, quâ se natura Patris æterni communicat, & quodammodo infundit Verbo, & quâ se natura Verbi communicat sacrosanctæ humanitati redemptoris; nam sicut per talem unionem, vel communicationem, Verbum & Christus fit ac constituitur filius Dei per naturam, ita per gratiam constituimur filii Dei adoptivi, non tantùm justi, amici intimi, & familiares Dei. Fortunatissimos se credunt, qui à regum vel principum aliquo hujus terræ in filios adoptantur; quàm felices igitur illi se jure existiment, qui à rege cœli in filios adoptantur? ab illo rege cœlesti, cui omnes reges hujus mundi naturâ suâ subjecti, & mera mancipia sunt? si autem gratia nos ad sortem filiorum Dei adoptivorum elevat, nobis pariter jus ad hæreditatem paternam concedit, ùt Paulus ad Rom. 8. rectè concludit; *si autem filii & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Et ego tot ac tantos thesauros stultè projeci & abligurivi ad captandam popularem auram fœdam & momentaneam voluptatem, pugillum evapidi fumi, exiguum aliquot obolorum lucellum, pugillum hordei: perdidi amicitiam Dei, & incurri inimicitiam illius, qui omnia potest: esse desii filius Dei, & factus sum mancipium diaboli miserrimum: excidi omni jure hæreditatis cœlestis, & me subjeci pœnæ æternæ: O me dementem! o me cœcum! qui

propter nugas, propter res nauci, floccinihili, amisi gratiam divinam, rem pretiosissimam, cujus minimus gradus pretio suo longissimè superat omnes hujus mundi thesauros: *Bonum gratiæ unius majus est, quàm bonum naturæ totius universi.* Ita S. Thomas 1. 2. q. 113 a. 9. ad 2.

2. Sublata gratia sanctificante, quæ est quædam quodammodo natura supernaturalis, nostræ conditioni naturali implantata, necessariò etiam tolluntur hujus naturæ facultates, sive potentiæ insitæ, nimirum habitus supernaturales per frequentatos actus pios & meritorios producti, & ex his omnium pretiosissimus habitus charitatis theologicæ, individuus comes gratiæ sanctificantis extinguitur, ita ut misero peccatori nil restet aliud, quàm fides infirma, imò mortua, spes elumbis, frigida; & hæ ipsæ virtutes infusæ, tunc penitus emoriuntur, quando directè contra has peccatur vel per hæresin aut Apostasiam, vel per desperationem. Adstabit igitur anima solis habitibus naturalibus malè tecta, spoliata spectante cœlo pretiosis vestibus virtutum infusarum, tanto pudore perfusa, quanto perfunderetur Regina aliqua, quæ in publico foro spoliata chlamyde regiâ, squalidis centonibus cooperiretur. Amissa charitate omne pretium pariter amittit oratio, amittit jejunium, amittunt eleemosinæ, nihil prosunt ad obtinendum salutem æternam:

hæc

hæc opera omnia ùtùt aliàs magni sint roboris ac pretii, sunt infructuosa, sunt mortua, nec in censum veniunt apud divinam justitiam, quippe nullius ponderis aut valoris in ipsius statera, in qua tantùm approbantur opera plena, & cœli meritoria *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nil mihi prodest:* 1. Cor. c. 13. Vide jam, in quas miserias anima præcipitetur per peccatum: redditur incapax vel minimum quid merendi per sua opera, incapax lucrandi indulgentias, & harum ope subsidiariâ debitas in purgatorio carcere pœnas expungendi; excluditur à communione Sanctorum, & thesauro communi tam meritorum, quàm satisfactionum à fidelibus omnibus in unum collatorum; longè deterioris conditionis, quàm ullus sit, qui ad incitas redactus est; nam licèt hic ipsemet solvendo non sit, liberari tamen suis debitis ab alio potest; quo privilegio gaudere non potest anima, peccato mortali constricta.

3. Peccator non solum amittit valorem omnium bonorum operum, quæ patrat in statu peccati, sed omnem etiam demit illis piis operibus, quæ olim in statu gratiæ peregerat, hoc solo intercedente discrimine, quòd illorum jactura sit perpetua & irreparabilis, cum nunquam per gratiam aut charitatem fuerint animata, sed in ipso ortu mortua; istorum verò jactura sit reparabilis per

pœnitentiam; cùm in ortu suo fuerint viva, & per superveniens peccatum mortale solùm fuerint mortificata, sive sopita. Sed tamen observandum, secundum, quod quis patitur, detrimentum, non minoris esse considerationis, quàm primum, ex duplici causa; nam non minùs secundi ordinis opera bona omni in perpetuum pretio carere deberent, quàm primi generis, cùm rebellio, quæ contra Deum per quodvis grave peccatum committitur, mereretur puniri confiscatione non solùm temporaria eorum bonorum operum, quæ operatus es, sed hanc confiscationem pariter oporteret esse perpetuam, quamvìs Divina justitia ex misericordiæ & bonitatis amore nolit uti summo rigore; & hinc nobis promiserit restitutionem bonorum omnium per peccata deperditorum: *restituam vobis annos, quos comedit locusta, & bruchus.* Joël. c. 2.

Secunda causa est, quòd omnia merita vitæ præteritæ sepeliantur, & deperdantur, etiamsi plura & excellentiora forent, quàm merita Hilarionis, qui septuaginta, quàm Antonii, qui nonaginta, quàm Romualdi, qui centum & ultrà annis jejuniis, vigiliis, corporis macerationibus, perpetuis psalmodiis asperrimam duxêre vitam, & Deo servierunt. Peccatum tam pestilentem afflat auram, ut non solùm fructus, sed ipsam arborem, ejúsque radices inficiat, corrumpat & exurat; est grando tam horrida, ac spissa, ut in vineis

nec

nec uvæ racemum, in agris nec ſpicam, nec granum faciat reliquum. Collegerit quæcunque tandem anima in ſinum ſuum merita omnium, quotquot unquam hanc terram incoluêre, & nunc cœlum incolunt cœlites; merita ipſius divinæ Matris, quæ ſola omnium cœlitum, etiam ſpirituum Angelicorum merita longè excedunt; merita ipſius Redemptoris mundi infinita; finge talem animam extitiſſe ab æterno, ipſi DEO coævam, & ſingulis horis, vel ſi placet, ſingulis momentis hunc immenſum meritorum cumulum duplicatô ſemper incrementô auxiſſe, unicum, quod admittat, peccatum mortale, illam in ictu oculi ſpoliabit his immenſis divitiis, & tam robuſtæ malitiæ erit, ut omnes hos cœleſtes theſauros evertat: *ſi averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur amplius.* Ezechiel. c. 18. *omnes, omnes.* Vade nunc pace mea, jacta te, quòd peccaveris, & nihil mali tibi inde evenerit: *Scito, & vide quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te dominum Deum tuum.* Jer. c. 2.

Punctum tertium.

Conſidera peccatum grave, & hujus gravitatem deſume ex pœnis quæ ipſi jure merito à Deo infliguntur in cœlo, in terra, & in inferno.

1. Peccant in cœlo spiritus Angelici, creaturæ nobilissimæ, & omnium creaturarum primitiæ præstantissimæ, ingratissimæ tamen simul erga divinam munificentiam, quæ illos ex nihili abysso benignissimè extractos in cœlo empyreo, omnibus præclarissimis tam naturæ quàm gratiæ dotibus liberalissimè instruxerat. Vocantur ad tribunal divinæ Nemesis: totus reatus commissi delicti consistit in actu superbiæ, dum suum ultimum finem ùt S. Thomas 2. 2. q. 73. art. 3. censet, vel in beatitudine aliqua naturali, viribus naturalibus, obtinendâ collocant, vel certè si sibi pro fine ultimo præfixerant, beatitudinem aliquam supernaturalem, voluêre tamen hanc ita constitutam esse oportere, ut eam sibi congenitis, & in ipsa creatione suæ naturæ inditis viribus, absque alio alterius adminiculo, se solis consequi possent.

Collige jam, ac perpende, quàm grande malum sit, ab ultimo tibi præfixo fine per peccatum deflectere. Deus hac injuria irritatus, nec unicum quidem momentum ad pœnitentiam indulsit prævaricatoribus angelis; & quamvìs hi ex numero innumero conficerent tertiam partem, ne uni quidem ex his pepercit, & nullo habito respectu ad horum multitudinem, ad excellentiam naturæ Angelicæ, ad eorum potentiam, sapientiam, ad ea, quæ præstituri fuissent ad Dei gloriam & honorem, si per pœnitentiam deleto peccato in pristinam gratiam

tiam & amicitiam Dei admissi fuissent; ad ea, quæ patraturi erant in Dei contemptum, siquidem omni ad pœnitentiam agendam negatô spatiô, æternùm gratiâ & amicitiâ Dei excludendi essent, exuit ipsos omnibus gratiæ donis, obruit ipsos omni pœnarum genere, detrusitque in imum inferni barathrum.

Longe majori jure sive delicta, sive delinquentem spectes, poterat & debebat contra me hunc justitiæ suæ rigorem expromere: confringit, & comminuit ille vasa aurea, quia invenit illa venenô culpæ mortalis infecta, & ego non contremiscam totis artubus, qui sum vile & luteum vas figuli: *Ulula abies, quia cecidit cedrus* Zachar. c. 11. Delictum Angelorum erat unicum; delicta mea sunt innumera: peccârunt illi tantummodo cogitatione; ego iniquis cogitationibus iniquiora adjunxi opera: error eorum is unicus erat, se supra conditionem sive naturam angelicam extollere, meus error erat turpis illa animi vilitas, qua me infra ipsas bestias abjiciebam: ingrati fuêre angeli, non tamen Domino, qui jam sæpiùs ipsis pepercerat, qui pro ipsis passus, & mortuus fuerat, ego ingratissimus fui Deo ac Domino, qui toties mihi ignovit delicta enormissima, litrum pro me redimendo persolvit immensi pretii, proprium nempe sanguinem usque ad ultimam guttulam; ipsis nec unicum temporis momentum, ut ad se, ad pœnitentiam redirent, indultum est; mihi sine fructu

obtrudunturdies, menses, anni & anni, lustra, & lustra. Exhorresco, stupidus, & attonitus mihi ipsi eripior, periculum contemplans, cui me ipsum exposui. Detestor detestandam ingratitudinem, quam commisi: fateor me omni gratia, & misericordia Divina esse indignissimum; firmitérque statuo ac propono, tot actibus severæ pœnitentiæ delinire Dei clementiam, quot delictis eam exasperavi; & tot de me facere holocausta, quot habui de me oblectamenta, ne pœnitentia sit minor crimine.

2. Adam creatori suo ingratissimus peccat in Paradyso, immemor te ab hoc, ad similitudinem suam efformatum, toti terrarum orbi, cæterísque creaturis hujus incolis cum summo imperio præfectum, intellectu, & scientiâ instructum, gratiâ dotatum, à repugnantia rebellium animi affectionum liberum, nulli morbo, nec ipsi morti subjectum, in deliciarum horto collocatum, ad supernaturalem gratiæ statum elevatum, in quo ipse suíque posteri omnes sibi mereri poterat intuitivam Dei visionem, & æternam felicitatem: nec alium canonem, aut tributum supremo suo Domino ad conservandum sibi suísque in perpetuum tantum feudum solvere, & homagium præstare jubebatur, quàm abstinere ab uno tantùm & futili fructu in testimonium debitæ subjectionis, & obedientiæ: peccavit ergo Adamus per hoc, quòd Deo fuerit inobediens,

ut

ut obediret & placeret suæ sociæ, quæ renidente vultu, captiosis verborum lenociniis muliebres blanditias adjungens, fatale pomum ipsi porrexit gustandum.

Et tu quoties maluisti displicere Deo, quàm amico? considera jam pœnam, quæ inflicta fuit delinquenti, ob hoc peccatum, & delinquentis posteris. Delinquens è Paradyso deliciarum, in quo regnabat, proscriptus, & ad triste exilium, fisco addictis bonis, & possessionibus omnibus, ad operas, ad colendam terram, ad laborem, ad tolerandos dolores, ad infirmitates, ad mille morborum genera, ad ipsam mortem est condemnatus? insurgunt, & arma sumunt contra ipsum suimet proprii appetitus, & affectus; creaturæ omnes ipsi bella movent: elementa rumpunt pacis vincula, quam sanctè hactenus ad ejus utilitatem coluerant: terra nihil illi jam profert aliud, quàm spinas & tribulos; bestiæ omnem ipsi denegant subjectionem, totus terrarum orbis videtur contra ipsum conjurâsse.

Et hæc mala omnia parvi pendenda sunt, si cum divitiis gratiæ supernaturalibus, quas amisit, comparentur: sed omnium maximè asperitatem pœnæ exasperat, & demonstrat, quòd criminis læsæ Majestatis reus, omnes suos posteros in eandem secum ruinam, & perditionem traxerit: omnia hujus mundi mala & ærumnæ, bella, discordiæ, tumultus, annonæ caritas, alimentorum penuria, fames, pestis,

morbi, & mortes, sunt meræ pœnæ, peccato Adami inflictæ, & hujus amaræ appendices.

Intra quinquaginta sæcula post perpetratum ab Adamo peccatum jam elapsa, mortui sunt milliones & milliones hominum. Imaginare, & exstrue tibi in tua phantasia, ex omnium hactenus extinctorum ossibus ingentes, diversósque cumulos, lachrymabiles catastas, hisque singulis adscribe sesquipedalibus litteris lamentabilem Epigraphen: *per peccatum mors.* Unius solius peccati fructus funesti. Annumeremus his corporum omnium stragibus, & mortis trophæis, tot strages, & mortes æternas, si non omnium, saltem majoris partis animarum, quæ toxicum fatale, perditionis suæ primam radicem & originem ex mortifero illo Adami pomo suxerunt. Annumeretur his mors spiritualis, peccatum mortale à tot ac toties commissum, quod ad eum, qui hoc perpetrat, relatum, est culpa; relatum tamen ad originale Adami peccatum, est pœna. Tot ac tanta mala procreavit unum unicum peccatum: Et hæc consideratio non sufficiat ad detegendam & agnoscendam peccati malitiã?

Et quot ex capitibus non fuerunt majora & graviora mea peccata, quàm fuerit peccatum Adami, sive considerem peccatorum meorum subjectum, aut objectum, sive numerum, sive finem, sive media, sive locum, sive tempus; quàm longè minor, mitior & brevior hactenus pœnitentia, quàm

ego

ego egi, quam fuerit pœnitentia ab Adamo acta, quæ per nongentos protracta est annos! & tamen nec hæc tam diuturna, tam rigida nongentorum annorum pœnitentia par fuisset delendo & eluendo peccato, nisi adhibitus fuisset pro lixivio sanguis expressus ex omnibus venis crucifixi Dei hominis. Et ego mihi blandiar, & plus justo mihi præstitisse videar, si levi flagello unum vel alterum levem ictum tremulæ cuti inflixero, & magis aërem, quàm tergum verberavero? si unius vel alteriùs diei ultroneo jejunio abdomen tantisper contraxero?

3. Invenire est aliquos, qui propter unicum peccatum grave inferno addicti, æternis pœnis justè puniuntur. Hæc unica cogitatio tantum tibi timorem & horrorem incutere deberet, ut artubus omnibus contremisceres: tot meritus sum infernos, quot peccata mortalia perpetravi; fui tam cœcus, ut peccatum tam grave pro re levissima, nauci & nihili haberem; imò ut haberem pro malo, de quo etiam gloriari, & me jactare, quòd in lusum ac jocum risu, & plausu dignum trahere possem. O mi Deus! qui tantâ mecum hucusque usus es clementiâ, ut me tamdiu expectares, & invitares ad pœnitentiam, fac, ut tandem cor meum durissimum colliquescat, & in integra lachrymarum flumina, seriæ pœnitentiæ, & veræ compunctionis liquidissima testimonia diffluat, & his fœdas peccatorum maculas

culas eluat simúlque ignem illum infernalem, cui meipsum toties per peccata mea addixi, extinguat.

Omnipotens, & mitissime Deus, qui sitienti populo fontem viventis aquæ de petra produxisti, educ de cordis nostri duritia lachrymas compunctionis, ut peccata nostra plangere valeamus, remissionémque eorum te miserante mereamur accipere: per Christum Dominum nostrum Amen.

Dies secunda

Meditatio quarta

De peccatis propriis.

POst consuetam orationem præparatoriam præmittas meditationi sequentia duo præludia.

Primum. Siste te tibimet ipsi ante oculos animi instar Jobi plagis innumeris obsitum, ita ut nec corpus, nec animus ullâ, vel minimâ sui parte sit vulneris expers & sana; memoria laborat oblivione Dei, summi & veri boni: intellectus cæcutit in agnoscendis, & capiendis veritatibus æternis: voluntas cœca à cœco intellectu ducta, sæpissimè boni locô amplectitur malum, sensus sæpissimè

ſimè portam peccato latiſſimam aperiunt, & liberrimum ingreſſum concedunt ad cor ipſum, lethalibus vulneribus ſauciandum, & confodiendum.

Secundum. Curre ad Chriſtum, medicum præſtantiſſimum; huic vulnera tua oſtende, hunc roga, ut conſiderato miſerabili ſtatu tuo, ad commiſerationem motus vulneribus tuis curandis manum medicam admoveat, & optimum vitæ balſamum, ſanguinem ſuum pretioſiſſimum illis infundat. Ad hoc impetrandum cum Iſaia c. 1. his verbis ad Deum clama: *à planta pedis usque ad verticem capitis non eſt in me ſanitas: vulnus & livor & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Utere verbis S. Matthæi. c. 9. *Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus.* Vel illis Pſalmiſtæ regii Pſ. 40. *Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccavi tibi.* Vel illis Jeremiæ c. 14. *Sana me domine, & ſanabor.* Et hæ ipſæ preces ſunto jaculatoriæ, quas interdiu ſæpius ad cœlum evibres.

Meditationem divides in tria puncta 1. Peccata mea ſunt multa. 2. Sunt gravia. 3. Sunt fortè vicina ad explendum numerum, & implendam menſura in peccatorum à Deo determinatam.

Pun-

Punctum primum.

Considera multitudinem tuorum peccatorum, in cujus notitiam facilè pervenies, si varia, ac certa vitæ hactenus actæ tempora, sive climata, corporis sensus, animæ potentias, mandata ac præcepta omnia, quibus subjiceris, ad trutinam vocaveris & excusseris.

1. Percurre igitur varias, quas hactenus vixisti, ætates; in harum singulis invenies, quod deplores. Peccata in ætate tenera ac puerili: hæc obiter in memoriam revoca. Peccata in juventute, & ætate paulò maturiore in virili, in senili, & hæc animo tuo in unum congesta cumulum, sub unum obtutum propone, ut eò major sit confusio tua, & horum detestatio. Percurre memoriâ tuâ omnia loca, quæ unquam incoluisti, vel peragrâsti; omnia officia, quæ gessisti; omnes actiones, occupationes, negotia, otia, quæ habuisti & exercuisti, tuas conversationes, societates, conventicula &c. O quàm ampla seges tibi occurret expavescendi ob innumera ac præsentanea pericula, in quibus te constitutum fuisse deprehendes æternùm pereundi.

Id autem in majorem admirationem te trahere debet, quòd eò stupiditatis perveneris, ut inter tam propinqua æternæ perditionis pericula tui incurius rideres, & in

ipso

ipſo infernalis abyſſi extremo labro ludibundus ſaltitares, inſtar aviculæ, quæ amœnæ arboris viridi ramuſculo inſidens læta cantillat, ſui ſecura, non advertens periculum, quod ſibi à venatore clàm inſidiante, ut eam fulmineo ſternat ictu, impendet.

2. In memoriam revoca peccata commiſſa per corporis ſenſus, & animi facultates. Quoties corporis ſenſus non aperuêre portas infami proditione hoſtibus, in animæ perniciem conjuratis? quoties illam in apertum pereundi periculum non conjecerunt? oculi aſpectibus curioſis, liberis, vel etiam laſcivis: aures auſcultandô, non tantùm vanos, & inutiles rumuſculos, ſed narrationes detractorias & ſcandaloſas: lingua loquendô contra charitatem, imò & contra juſtitiam, effutiendo plenis buccis ingentem farraginem mendaciorum, murmurationum, jocorum illiberalium, ſcurrilium, fœtentes haras, & venerem olentium: guſtus, ingluvie, compotationibus, ebrietatibus, fortè etiam rationis lumen extinguentibus, gaſtrimargiâ: tactus mollitie effœminata, morbidis vel etiam illicitis deliciis: peccata quæ opere externo conſummare, non potuiſti, intra te, & per potentias animæ inditas complêſti.

Quis autem ſimilium actuum internorum numerum iniverit? quis horum diverſitatem ſatis explicaverit? tot cogitationes vanæ gloriolæ inanem captantes auram; tot cogita-

gitationes avaritiæ, luxuriæ, gulæ, iracundiæ, invidiæ, acediæ: tot desideria, & complacentiæ erga objecta abominanda: tot contemptus si non formales & expliciti, saltem interpretativi, & impliciti tam legis, quàm legislatoris Divini.

O quot causas non habes erubescendi, videns te fœdissima peccatorum lepra à planta pedis, usque ad verticem, intus & foris coopertum, merum peccati ulcus esse, quod te non solùm Deo, sed etiam hominibus, hanc tuam fœditatem penetrantibus & agnoscentibus reddit abominabilem. Peccatum est actio vilissima, & omni vituperio dignissima, etiam ad solum lumen naturæ consideratum: itaque si vel unum peccatum te reddit vilem, abominabilem, contemptibilem, & mille opprobriis cumulandum, quàm turpe & horrendum monstrum non eris tu, postquàm corpus & animam tot ac tantis peccatis spurcissimis inquinâsti, & deformâsti?

3. Voca in memoriam & mentem tuam, & proba tantisper ad lydium lapidem divinorum pariter ac humanorum, Dei & Ecclesiæ præceptorum. percurre singillatim omnia, & forsan deprehendes, te defecisse in omnibus & singulis si non graviter, saltem leviter. Speciali accuratione excute, quomodo adimpleveris ea, quæ status Ecclesiasticus exigit; nam defectus & culpæ à sæcularibus admissæ æquiparantur modico luto,

quod

quod penulæ gausapinæ, vel pallio viatorio, ex crasso grisei coloris panno confecto aspergitur: admissæ verò ab Ecclesiasticis æquiparantur fœdis, oleaceis maculis, quæ byssinis & purpureis vestibus imprimuntur.

An paruisti hactenus illis Canonibus sacris, qui Ecclesiasticis interdicunt mercimonia, venationes clamosas, ac nimias, choreas, larvas, publicas tabernas, suspecta conventicula, spectacula, & theatra prophana, in omnem licentiam, scurrilitatem effusa, lusus chartarum, alearum, symposia, compotationes, helluationes in seram quandoque noctem, etiam cum plebeis hominibus protractas? an observâsti Canones illos, qui agunt de vita & honestate Clericorum, de modestia, & decentia exteriore, quæ se extendit etiam ad vestes, harum colorem, formam; ne sint nimis curtæ; ne sapiant nescio quam vanitatem plusquam sæcularem, ne dicam muliebrem, ne mollem Narcissulum aliquem vel cincinnatulum, præsertim si effæminatus crinium sive propriorum, sive alienorum, ac fictitiorum usus accedat? quos gestus, motus corporis, ac membrorum exerceas tunc maximè, cùm sacræ in templo functiones peragendæ sunt, vel in choro, cantando, vel ex altiore loco ad populum dicendo, vel ad aram tremendum sacrificium offerendo, vel in sacro tribunali confessiones excipiendo, vel

pias populi processiones comitando, aut ducendo.

Si frueris beneficio aliquo Ecclesiastico, considera, an reditus illos, qui sustentationem statui & officio tuo congruam excedunt, impenderis in eleemosynas, in usus pios, in Ecclesias dotandas, ditandas vel ornandas, an potiùs his fructibus superfluis locô pauperum alueris integros greges venaticorum canum; impinguaveris, ditaveris nepotes, & ad altiorem nobilitatis & honoris gradum evexeris totam familiam tuam: discute, an pia legata adimpleveris. Missas tuo beneficio annexas, vel aliunde debitas, debito numero, tempore & loco celebraveris? utrùm non possideas beneficia de se incompatibilia, & quæ in uno eodémque capite sine pontificis indulgentia conjungi non possunt: quàm attentus, devotus & diligens fueris in persolvendo penso diurno horarum Canonicarum; & siquidem has omisisses, an fructus, quos tuos ob hanc socordiam non fecisti, justa proportione restitueris, ac reparaveris.

Si tandem tibi demandata fuisset cura animarum, perpende, an satisfeceris obligationibus à Concilio Tridentino huic muneri impositis, quas ita enumerat: ut cognoscas tuas oviculas, ut sacrificium ad aram pro ipsis offeras, ut eas pascas verbo divino, administratione sacramentorum, exemplaris & religiosæ vitæ tenore, ut te misericor-

ricordem patrem exhibeas pauperibus, & miseris, ut parvulis frangas panem, eósque lacte christianæ doctrinæ à teneris nutrias, & indefesso labore hanc ipsis inculces, ut, si nihil obstet, quotidie celebres in tua paræcia, & intra hujus limites hæreas ac resideas; ut nomina illorum, qui sacro fonte abluti sunt, in uno, in alio autem libro illorum nomina, qui matrimonio juncti fuerunt, statim sine mora, & exactè inscribas.

Sed modò tua omnium maxima cura hæc esto, ut attentè inquiras, & examines, an tu minister Christi JEsu, & adjutor in procuranda salute animarum constitutus, tuis scandalis, & lurido vivendi tenore animas tuæ curæ commissas, & infinito thesauro effusi à Christo Divini sanguinis emptas, & redemptas è brachiis, & sinu hujus redemptoris impia violentia ereptas, ipsi diabolo consignaveris, & mancipaveris: si immane hoc flagitium, & diabolicum plagium unquam commisisses; meritò præ pudore & dolore ne quidem oculos ad cœlum attollendi licentiam tibi sumere deberes, quòd elevatus ad supremam dignitatem Apostoli JESU Christi salvatoris, indicibili degeneris animi vilitate malueris, proditori Judæ non impar, nec absimilis, agere Apostolum diaboli.

Postquàm igitur in mentem reduxeris tantum culparum à te commissarum cumulum, humilia te sub potenti manu Dei, agnosce,

fatere te dignum, qui non uno, sed plurimis plectaris infernis: infinitas redde gratias clementiæ, & misericordiæ divinæ, tuam, licèt maximam malitiam, infinities excedenti, quòd te tamdiu, & usque in hanc horam tam patienter toleraverit: suffundere coram Deo tuo, pudore & rubore maximo, & ut hunc adhuc magis augeas, adde hanc attentam considerationem, hanc à te hucusque haustam cognitionem de multitudine, & ingenti peccatorum tuorum numero, nulla ratione adæquare, imò ne quidem attingere numerum illorum tuorum peccatorum, quæ sunt occulta, & tuæ cognitioni subtrahuntur vel per ignorantiam, vel per oblivionem; exclama igitur cum propheta regio Ps. 18. *Delicta quis intelligit:* & subjunge: *ab occultis meis munda me Domine.* Absolve hoc primum punctum eliciendo actum perfectæ contritionis.

Punctum secundum.

Considera & pondera gravitatem tuorum peccatorum, quam facilè colliges ex circumstantiis hanc aggravantibus, & horum enormitatem, ac deformitatem plurimùm augentibus: sunt autem hæ circumstantiæ qualitas ipsius personæ peccantis, locus, tempus, finis, modus, instrumenta & adjumenta.

1. Qua-

1. Qualitas personæ auget gravitatem peccati; si peccet paganus, turca, gentilis, saltem aliquid excusationis errori suo prætexere potest. Ipsius mentem nec tot, nec tam claræ illustrationes supernæ illuminârunt, quot & quàm clari veræ ac vivæ fidei radii affulsêre tibi: si peccet sæcularis, mundi regulas professus, malè facit; nihilominus non contradicit vestibus, quibus induitur, nec statui, quem profitetur. Si verò exorbitet Ecclesiasticus, dehonestat, & commaculat Christi insignia, sacras, quibus induitur, vestes, & se opponit suæ obligationi, propinquiùs & arctiùs Christi vestigiis inhærendi, eique serventiùs serviendi juxta normam & regulas consiliorum Evangelicorum.

Cæsari in Senatu à conjuratis trucidato, nulla vulnera, etsi crudelia, magis doluerunt, quàm quæ inflixit Brutus, ab ipso in filium adoptatus, hinc alto silentio premens aliorum perfidam sævitiam, uni Bruto truculentam ingratitudinem moribunda voce in hæc verba erumpens amarè exprobravit: *tu quoque Brute fili mi!* Non multum abludit ab hoc Cæsaris lamento, lamentum illud, quo Deus Ps. 54. utitur, & conqueritur contra illos hominum ingratissimos, qui intra suos domesticos admissi, suis familiaribus amicis annumerati, ad summos honorum & dignitatum apices evecti, suæ mensæ Ecclesiasticæ, verè oppiparæ, & basilicæ adhibiti,

hibiti, gratissimi semper convivæ, ipsum eò audaciùs offenderunt, quò majoribus beneficiis & gratiis ab ipso affecti fuerant: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.*

Peccatum tuum vix inferius & levius est peccatô Judæ, qui ad dignitatem Apostoli & discipuli, cui arcana divina crederet, evectus, incredibili ingratitudine, amantissimum suum Magistrum & Dominum prodidit, & vilissimô pretiô suis hostibus vendidit.

2. Locus, in quo peccatum est, auget culpæ gravitatem: potest violari lex à principe lata, sine adeò magno principis contemptu, modò non violetur ipso præsente, & spectante. Tu honorem Deo non abstulisti per furtum, sed per rapinam sacrilegam violenter eripuisti præsenti & obluctanti. Quis furum tam temerarius fuit, ut sub oculis sui supremi, & severissimi judicis furaretur. Sæpiùs erubueris, & horrueris peccare in præsentia, & conspectu etiam unius tantùm hominis: & tamen frontem ita perfricuisti, ut Deum inspectantem gravissimè offendere non erubueris, & conspirationis telam sub ejus oculis ordiri, & pertexere minimè horrueris. Deplora immane hoc probrum, quod Deo ac domino tuo intulisti, cum Davide Ps. 10. his verbis: *tibi soli peccavi, & malum coram te feci.*

3. Finis,

3. Finis, qui te ad peccandum impulit, auget culpæ gravitatem. Deus tanto dignus est honore & amore, ut de minimo quidem peccato sit offendendus ad obtinendum ullum bonum aut lucrum, quantumvis maximum, ita quidem, ut si per commissionem etiam unius tantùm, & minimi peccati omnes mundi divitias & thesauros lucrari & indipisci posses, deberes potius repudiare hæc omnia, ùtùt pretiosa, & speciosa, quàm Deo inferre tantam injuriam eum postponendô cuicunque tandem bono creato: & nihilominus non peccâsti, ut aquireres nescio quod grande lucrum, aut commodum, sed propter exiguum aliquot terunciorum lucellum, propter tenuem vanæ gloriolæ fumum, propter momentaneam & sordidam delectationem: *violabant me propter pugillum hordei & fragmen panis*, justè conqueritur Deus Ezechielis c. 13. non jam propter integrum plaustrum, vel plures modios, sed pugillum hordei, non propter integrum optimæ farinæ panem, sed exiguum mucidi panis frustillum Deo ac domino tuo rebellis, omnem fidem & subjectionem ejurâsti.

An non meritò tibi poterit exprobrari, quod gratìs, & sine pretio tibi iram & inimicitiam Dei comparaveris juxta illud Davidis Ps. 34. *Adversantur mihi iniquè, qui oderunt me gratìs.* Detestare tuam dementiam, quam demonstrasti flocci faciendo ac relinquendô summum bonum, ut obtineres minimum

nimum & umbraticum bonum. Ipso Esau longè dementior, qui primogenituræ jura insulso lentis edulio vendidit, *abiit parvi pendens quòd primogenita vendidisset.*

4. Tempus, quo peccâsti, non modicum pondus peccato adjicere potest; nam non solùm peccâsti in tenera & puerili ætate, quando culpas tuas ignorantia inculpabilis vel penitus exculpare, vel plurimum excusare poterat, sed peccâsti etiam in ætate maturiore, in tua juventute & adolescentia, quando clara jam rationis dies, clariorem tibi cognitionem de peccati malitia infundebat, tuáque simul delicta inexcusabilia reddebat: non abripiebaris tunc in peccata improviso vehementis alicujus passionis, sivè sinistri alicujus affectûs, torrentis instar erumpentis impetu, sed trahebaris in concatenata peccata à pravis habitibus, & induratis consuetudinibus.

Non abibat dies, quam non maculares aliquo ex consuetorum peccatorum genere, ut sensim tam familiare, & connaturale fieret peccare, quàm edere ac bibere, illis adnumerandus, quos Spiritus S. Prov. 4. ita describit: *Comedunt panem impiorum, & vinum iniquitatis bibunt.* Hæsisti longo tempore obduratus in tuo peccato, surdus ad inspirationes, sive voces divinas, quibus te divina bonitas ad se revocabat, & evocabat, ut extractis è profundo peccatorum cœno, cui infixus eras, pedibus ad te redires. Gratias

tias age Deo immensas, quòd tamdiu te toleraverit cum tanta patientia, longanimitate, tibíque nunc tempus sufficiens concedat, quo possis redire in viam justitiæ.

5. Modus peccandi grande peccatis tuis addit pondus, cùm omni, quo peccari potest, modo peccaveris. Peccâsti cogitatione, & ulteriùs progressus, quæ malè cogitâsti, & designâsti, pejùs executus es. Peccâsti desideriô, verbô & opere. Perpetrâsti peccata commissionis, & longè frequentiùs omissionis, faciendô malum, quod vetabatur, & omittendô bonum, quod imperabatur. Peccâsti solus, & violâsti temet ipsum; nec satur, induxisti alios, ut tui socii, & peccati complices, ac participes fierent, quin & alienorum peccatorum te reum fecisti, ea non impediendô, cùm posses & deberes; ea docendô, approbando, laudandô, imperandô, ad ea viam aperiendô, occasionem, consilium dandô, stimulandô.

Quanta erit confusio tua, cùm te videbis non solùm propriorum peccatorum, sed & alienorum sordibus oppletum: *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Ps. 37.

6. Instrumentum, quo usus es ad efformandum peccati monstrum, reddit hoc abominabile, dum ipsis beneficiis & gratiis tibi à Deo liberaliter concessis usus es ad Deum offendendum. Poterat te Deus creare cœcum, surdum, mutum, mente captum: donavit tibi Deus benignissimè visum, audi-

tum, loquelam, intellectum capacem scientiarum omnium, illuminatum, ad cognoscendum, & discernendum bonum & malum.

His, aliísque quàmplurimis beneficiis, tanquam armis tibi concessis ad Deum, ejúsque honorem defendendum, abusus es, ad Deum, datorem bonorum omnium offendendum, ejúsque honorem conculcandum, non minore ingratitudinis infamiâ, quàm se inquinaret subditus, ac servus ille, qui ensem illum, quo eum dominus ac rex suus, dum equitem vel comitem crearet, præcinxit, contra ipsum stringeret, strictúmque insuper in ipsius paterna viscera ad capulum usque demergeret. Pudeat te igitur tam monstrosæ ingratitudinis; defle & detestare illam, sanctè spondendo, quòd tam enormem infidelitatem & ingratitudinem invictâ usque ad ultimum halitum constantiâ eluere ac compensare velis.

Punctum tertium.

Considera, tua peccata attigisse jam, & implevisse præfixum à Divina justitia numerum, vel proximè abesse ab hoc fatali numero complendo.

1. Non obstante magno peccatorum à te commissorum numero, facilè evenire posset, ut hunc nihilominus augere pergeres fallaci

spe

ſpe deceptus, te ſubinde per ſeriam pœnitentiam quidquid malorum vel damnorum tibi interim accreviſſet deleturum, & ad priſtinum gratiæ ac felicitatis ſtatum rediturum. Hæc eſt deceptio perniciosiſſima; nam qui committit peccatum mortale, in tantam ſe præcipitat miſeriam ex qua incertiſſimum eſt, utrùm unquam ſit poſtea emerſurus.

Docent communiter Theologi, ſacrarum Paginarum, & SS. PP. nixi auctoritate, ſingulis hominibus à Deo præfixum, & præfinitum fuiſſe certum numerum vel menſuram, qua impletâ nolit ampliùs miſericordiæ eſſe locum, ſed peccatori ulterior pœnitentiæ agendæ occaſio cum ulteriori vita mox tollatur, vel uſus rationis per dementiam auferatur, vel auxiliis gratiæ efficacis ſubtractis, ea tantummodò concedantur, quibus licèt poſſet, cooperari, & ſalutem æternam conſequi, tamen prævidetur nunquam cooperaturus, & ideo æternùm periturus. Itaque hic peccatorum numerus vel cumulus non unus, idémque eſt reſpectu omnium aut ſingulorum, imò per primum ac unicum peccatum, ſibi præfixum numerum impleverunt multi: experti hoc Angeli Apoſtatæ, qui mox poſt primum peccatum æternis inferni pœnis adjudicati ſunt. Alii prævaricatores ſuum delictorum numerum poſt milleſimum, alii poſt centeſimum, alii poſt quartum, vel potiùs per quartum impleverunt, & miſerè perierunt æternùm:

ſuper

super tribus sceleribus Juda, & super quatuor non convertam eum. Ita loquitur Deus apud Prophetam Amos. c. 2.

Nec tibi blandiaris identidem occinens: misericordia Divina est infinita, illimitata, absque omni termino; quod quidem verissimum & indubitatum est, si misericordiam placeat considerare juxta suam naturam, & prout est in se ipsa; non tamen est infinita in suis effectibus, id est, infinitæ misericordiæ, miserationes, & operationes semper sunt finitæ, eo nempe modo, quo divina omnipotentia dicitur, & est infinita, cùm tamen creaturæ, quas creavit, & creabit, semper sint & erunt numero finitæ. Quid ergo tecum foret, si post tot jam commissa peccata, auderes vel unum novum prioribus superaddere, quod numerum compleret illorum omnium delictorum, quæ à te tolerare decrevit divina potentia, & longanimitas? actum esset de te: contremisce, & exhorresce ad hoc periculum tanquam ad monstrum terribile, quod latè diducto rictu tibi minaciter immineat, ut te discerpat: *quasi à facie colubri fuge peccatum.* Eccl. c. 21.

2. Priori adjunge hanc insuper considerationem. Esto, quòd novum, ac primum denuo post priora peccatum, non sit ultimum præstituti numeri complementum, jure tamen timendum est, ne viam sternat ad hoc ultimum complementum sive ad hanc ultimam guttam, quæ navem mergat, atque

ideo

ideo sit, si non proxima & immediata, saltem remota & mediata causa tanti infortunii, & æternæ perditionis. Et hoc eveniret, si Deus prout sæpiùs assolet, etiam post remissam priorum peccatorum culpam, tibi pœnam illam terribilem infligeret, ut te sineret gradatim ab uno peccato in aliud peccatum labi, & relabi, ac præcipitem ruere, donec ad supremum peccatorum coacervatorum apicem pertingeres. Ora Patrem misericordiarum, ut te per merita JEsu Christi redemptoris liberet à pœna tam terribili, & pavenda.

Ineffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos, & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dies tertia

Meditatio quinta

De Morte.

REmedium optimum longè à se arcendi peccatum, est memoria quatuor novissimorum: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccl. c. 7. Hac de causa

causa hodie consideranda proponitur mors.

Post peractam consuetam orationem præparatoriam præmittes meditationi duo consequentia præludia.

Primum erit, ut te tibimet ipsi repræsentes ad extrema deductum jacere in lectulo, à medicis desertum, omni ulterioris vitæ spe destitutum, feralem candelam manu tremulâ ægrè sustinentem, lateri tuo ad lecti spondam hærente sacerdote, illúdque luctuosum Epiphonema, quod olim Isaias Propheta c.38. Regi Ezechiæ occinuerat, etiam tibi intonante: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.*

Secundum erit, ut petas à Deo lumen ad agnoscendas mortis proprietates, & adjuncta, specialiter quàm multa, & magna mala mortem peccatorum, quàm multa & magna bona mortem justorum comitentur: pete gratiam effugiendi illam, & hanc consequendi, quem in finem utere verbis sequentibus ex Psalmo 12. desumptis: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte:* vel istis verbis Balaami Numer. c. 23. *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.* Et hæc ipsa servient tibi pro precibus jaculatoriis hoc matutino tempore sæpiùs iterandis.

Dividatur meditatio in hæc tria puncta. 1. Mors est certa, & incerta. 2. Mors decipit,

cipit, & tollit deceptiones. 3. Mors amœna, & amara, ſolatur & terret.

Punctum primum.

Conſidera mortem eſſe certam circa ſubſtantiam, & æquè incertam quoad circumſtantias.

1. Certiſſimum eſt, tibi moriendum eſſe: quid juvat obluctari, & reniti? hoc eſt certiſſimum, & nullum admittit dubium, nullum *fortaſſis*. Res aliæ hujus mundi ſunt incertæ; hinc meritò dicere potes, fortaſſis lucrabor hanc litem, fortaſſis convaleſcam ex hoc morbo, fortaſſis promovebor ad hanc paræciam, beneficium Canonicum &c. ſed certitudo mortis omnem excludit incertitudinem, nec dicere fas eſt, fortaſſis & ego moriar, fortè non moriar; nam indubitatum eſt; qui naſcitur, etiam denaſcitur, qui oritur, moritur.

Hanc indubitatam veritatem demonſtrant ad oculum tam experientia quotidiana quàm ratio naturalis, & fides ſupernaturalis. Experientia tibi unum alterúmve funus, præſertim in populoſis urbibus & oppidis ob oculos quotidie ponit. Ratio docet, te ex elementis inter ſe contrariis, & aſſiduè pugnantibus conflatum, tandem te domeſticis iſtis bellis ac colliſionibus conterendum, te mille vitam perdendi periculis obſeptum,

omnia

omnia evadere non posse. Fides tibi aurem vellicat, ut præcepti & statuti illius irrevocabilis recorderis: *statutum est hominibus semel mori.* Hebr. c. 9. omnibus, omnibus moriendum est, tam parvis, quàm magnis, divitibus, & pauperibus, juvenibus, & senibus. Ne tibi aduleris.

Indubitatum, & certissimum est, oriturum semel diem, quo manè vivi, vespere erimus mortui; vel è contrario erimus vivi vespere, & sequenti manè diem vivi non ampliùs auspicabimur. An unquam vidisti aliquem mori, & domô in feretro efferri, à vespillonibus in escam vermium terræ mandandum? esto igitur certus, & habe tibi persuasissimum, quod eâdem viâ hoc mundo exiturus sis; tu pariter, ùt ipse, separaberis ab omnibus deliciis, & gaudiis hujus mundi: dicendum erit vale omnibus amicis & amicitiis, conversationibus, divitiis, commoditatibus, voluptatibus, honoribus: dignitatibus, & quidquid sensus, vel appetitus tuos pascere, aut demulcere potest: etiam tuum corpus, postquam efflaveris animam, domo ejicietur; etiam tui domestici, & familiares, ut fœtorem declinent, properabunt cadaver tuum tumulo inferre, à vermibus devorandum. Si veritatem hanc infallibilem capis, & firmiter credis, cur tamen vitam tuam ita instituis, quasi nunquam esses moriturus?

Quare

Quare tam tenaciter cor tuum affigis rebus, à quibus paulò pòst divellêris? cur tam delicatè nutris, tam tenerè amplecteris saccum stercoris & putredinis, corpus tuum? cur tanto ardore insequeris bona transitoria? cur tam avidè congregas & accumulas substantias sine omni substantia, nil profuturas, sed potiùs obfuturas per totam æternitatem? nondum agnoscis tuam stultitiam? an non advertis, te similem esse inepto illi mercatori, qui maxima solicitudine, & indefesso labore navem onerat variis mercibus, quam certò scit cum omnibus mercibus mergendam, & interituram? vel certè improvido illi viatori, qui in itinere & reditu in patriam constitutus, corradit varias, & splendidas monetarum species, quamvis probè sciat, eas in patria sua nullum habere valorem, non acceptari, nec usui esse posse? ut *quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Psalm. 4.

Itaque si hactenus totus fuisti in corradendis bonis terrenis, & tanta solicitudine colligendis illis rebus, quibus omnibus à mortè certissimè non minùs, quàm ipsâ vitâ exuêris, muta, dum potes, animum ac studium, & majore diligentia imposterum coacerva illos thesauros, qui nec corrumpi, nec tibi ab ullo fure, nec ab ipsa morte eripi possunt. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quò fur non appropiat, neq; tinea corrumpit.* Luc. c. 12.

Morere, antequam moriaris; deſere nunc ſponte, quæ paulò pòſt deſerenda erunt coactè; abſtrahe omnem affectum erga tranſitoria, & eris ex numero illorum felicium mortuorum de quibus c. 14. in Apocalypſi dicitur: *beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

2. Quàm certum & indubitatum eſt, ſemel moriendum eſſe, tam incertum ac dubium eſt, quo loco, quo tempore, quo modo, aut genere mortis tibi moriendum ſit. Neſcis locum; nam quamvis tibi perſuadeas, te in lectulo tuo per præviam ægritudinem de adventante morte monitum, ſacris morientium Sacramentis munitum, negotiis omnibus tam corporis, quàm animæ ritè compoſitis, aſſiſtente, & animante ad ultimum agonem ſacerdote, placidè exſpiraturum; noli tamen nimiùm tibi blandiri; optanda hæc quidem forent, neſcio verò, an tam certò etiam ſperanda; hoc certum eſt, quòd neſcias, an domi in tuo cubiculo, vel extra domum; utrùm in urbe, an villa, utrùm in itinere, vel in itineris termino, an ad menſam, vel in templo ſis exſpiraturus. Nullus eſt locus, in quo te mors non poſſit adoriri.

Hoc ipſum de tempore ſentiendum, & dicendum eſt. Tu tibi blandiris, te non niſi poſt multos annos, in ſenili, & decrepita ætate longævam vitam finiturum, quando videlicet tibi ipſa vita gravior, & mo-

leſtior

lestior quàm mors visa fuerit. Sed pura puta veritas est, quòd ignores, an in juventute, an in ætate virili, aut senili, an hoc anno, hoc mense, hac hebdomade, hac die, vel aliàs tibi hinc migrandum sit.

Æquè incertum est, quo mortis genere sis extinguendus: an morte subitaneâ, & improvisâ, an exspectatâ, & provisâ? an lentâ, an violentâ? & quod tibi meritò vehementem metum incutere debet, an in statu gratiæ, vel in statu peccati extra Dei gratiam sis decessurus: Hinc CHRISTUS in suo Evangelio nos toties admonet, ut semper simus parati, & lumbos accincti ad iter æternitatis ingrediendum; adjectis tot parabolis ad hanc veritatem tanti momenti altiùs menti & memoriæ nostræ insculpendam; nunc vult nos semper vigilare instar virginum illarum, quæ sponsum exspectant, & nesciunt, quando venturus sit; instar illius patrisfamilias, qui scit fures nocturno tempore in domum suam irrupturos, sed nescit, quâ horâ; instar famulorum illorum, qui dominum suum noctu rediturum exspectant, sed ignorant, an primâ, an secundâ, vel tertiâ vigiliâ (quod elegans symbolum est trium hominis ætatum, juvenilis, virilis, & senilis) sit appulsurus.

Quid de te foret, si præsens dierum tuorum omnium foret ultimus? si hoc momento moriendum esset? essesne accinctus ad grandem viam sine mora, & timore auspi-

candam? ad hunc periculi plenum, terribilémque saltum ex hac in alteram vitam, ex tempore in æternitatem in momento faciendum? Deploranda cœcitas foret, si supinâ torperes negligentiâ in procuranda, & ab omni periculo præservanda salute æterna animæ tuæ, in negotio negotiorum omnium maximo, unicè necessario, & summi momenti, cùm interim negotia temporalia exigui, imò nullius momenti tam sollicitè, tam cautè, tam providè, nulli parcens labori disponas, omnia pericula etiam remota ac minima, unde aliquid damni timendum esset, diligentissimè arcere studeas? quid prodesset, si omnia, quæ non solùm sufficerent, sed superabundarent ad ducendam commodam, lætam sine omni cura vitam, in viridem senectutem & senium producendam, accumulâsses, hodie autem deberes hunc mundum deserere, omnia relinquere, & transire in alium? dignissimus enimverò fores, qui illo excipereris amaro improperio, quo dives ille apud Lucam c. 12. exceptus est: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parâsti, cujus erunt?*

Fortassis tu non subjaces sinistris illis casibus, quibus tot alios succubuisse vidisti? vel audisti; hic flumine submersus, ille domûs caducæ ruinis oppressus, hic gladio transfossus! ille glande plumbeâ trajectus interiit: hic sanus, & incolumis, noctu lectum ingressus, nihil de morte somnians,

manè

manè mortuus in eodem repertus est. Sapientis igitur est, primam & omnium maximam curam illi negotio impendere, illi potissimùm prospicere, quod summi, & majoris præ reliquis omnibus momenti est: oportet se sollicitè, & providè parare, imò jam paratum esse, ad momentum illud formidandum, ex quo pendet æternitas: *estote parati, quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet.* Lucæ c. 12. Quævis tua actio ita instituenda, & obeunda est, ac si esset ultima: omnis confessio ita deponenda est, ac si ad tribunal illud misericordiæ accessus non ampliùs esset concedendus; sic synaxis sumenda, quasi esset ultima, per modum viatici: ad hæc ipsa sacra exercitia, quæ præ manibus habes: ita industriam tuam adhibe, ac si ultimum spatium, & medium essent à Deo concessum ad seriam agendam pœnitentiam, & salvandam animam.

Agitur de negotio nimis magni ponderis, ac verè summi momenti, & nulla solicitudo, nulla cautela potest esse nimia: de negotio, in quo si erretur, toto cœlo aberratur, & error nunquam ampliùs emendari, aut compensari potest, morimur enim semel tantùm, & non sæpius: si semel malè, & in statu peccati mortalis moreris, periisti æternùm; si semel bene, & in statu gratiæ moreris salvus, & beatus es æternùm. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Eccl. c. 11.

Statue igitur tecum firmiter, inclinare, & toto animi nisu ac pondere semper propendere ad dexteram, ad Austrum; nunquam verò ad sinistram, ad Aquilonem, ut cum succideris, bene ac feliciter cadas; nam quò cecideris moriens, ibi æternùm eris.

Punctum secundum.

Considera, quòd mors decipiat, & simul deceptiones tollat. Decipit, prout legitur Psalmo 54. *veniat mors super illos*; nimirum, quo minimè reris tempore; unde alia versio legit, *mors decipiat illos*. Tollit deceptiones & fraudes, prout Eccl. c. 41. dicitur: *ô mors, rectum est judicium tuum*: decipit, dum fingit, se à nobis longè abesse, cùm nobis jam hæreat in cervice: tollit deceptionem & fictionem, quando jam incipit elidere cervices.

1. Decipit te mors, quando se fingit plurimùm adhuc à te remotam.

Est illa semper vicinior, quàm credas; quin tibi in certo sensu jam præsens dici potest, non solùm in causa, nempe in quatuor illis elementis, ex quibus homo componitur, se, & unà secum, humanam vitam elidentibus; sed in ipso effectu, nam homo non tunc primùm mori incipit, quando anima separatur à corpore, sed primo statim momento, quo vivere incipit. Ultima vi-

tæ

tæ nostræ hora non est illa, quam mors affert; sed illa, quæ præcedentem longam mortem tandem complet. Quovis diei momento particula aliqua ex vita nostra decerpitur, singulis horis jam unâ horâ brevior fit vita nostra: si præteritô annô tibi reliqui erant decem vitæ anni, hoc anno præsente supererunt tibi solùm novem; nec tibi persuadeas, residuum vitæ tuæ esse longum, & diuturnum: nimis labili, & infirmo fundamento persuasio tua innititur, videlicet floridæ ætatis, robustæ & vegetæ valetudinis, firmarum virium, nam mors falce suâ non solùm demetit spicas albas & maturas, sed non rarò resecat totam messem in herba, flores herì natos, & viride caput attollentes. Quot juvenes in hac urbe, in hac vicinia audivisti intra breve tempus extinctos fuisse, & fortassis etiam in sandapila jacentes spectâsti!

Sed demus, multos adhuc restare tibi annos vitæ; perpende, quàm velociter tempus avolet: ad præterita reflecte animum, & perpende, quàm citò transiêrint triginta, quadraginta, quinquaginta, & plures adhuc vitæ anni, quos decurristi; & conclude, eâdem celeritate transituros annos illos, quos tibi fortè vana & falsa spe adhuc promittis plurimos, elapsuros. Quàm bellè & bene nobis in Apocalypsi depicta, & descripta est mors, veloci insidens sonipedi, qui subditô calcari, laxatisque habenis nobis ap-

propinquat, & quantumcunque remotos tam celeri cursu nos intra breve temporis spatium occupat. Hinc deduces sequelam, quàm pridem D. Paulus deduxit; *ergo dum tempus habemus, operemur bonum:* ut vitam emendes, & mutes in melius, noli expectare mortem vicinam; nam tempus volat, & avolat irrevocabile; si pergas nectere moras, obliviscêris tui etiam in ipsa morte, eò quòd oblitus fueris Dei in vita: *æquissimè percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui vivus oblitus est Dei.* Aug. Serm. 10. de Sanctis.

2. Mors præsens tollit deceptiones, & fraudes. Ad lucem illius candelæ feralis, quæ ad cervical moribundi ardet, qua veritates æternæ, hactenus nigris obvolutæ tenebris, & falsitatibus annumeratæ, clarè detegentur! In hac vita densæ te circumdant nebulæ, quæ tibi mentis oculos obvelant, ne præsentia ritè distinguas, & distinguas multò magis absentia, & remota. Sed candela illa mortualis, instar solis, lumine suo dissipabit crassas illas nebulas, & absterſa fuligine, genuinam rebus omnibus speciem restituet, & agnoscendam proponet. Nunc tibi bonum videtur malum, & è diverso malum tibi videtur bonum: *dicitis bonum malum, & malum bonum.* Isa. c. 5.

Sensuum refrænatio, vitæ modestia, libertatis restrictio, pœnitentiæ amarities palato tuo non sapiunt, timorem incutiunt;

mundi

mundi deliciæ, & gaudia lubrica, voluptates, sympoſia, luſus, joci feſcennini, peccatum ipſum, tibi videntur meræ illecebræ, & fomenta veræ lætitiæ. Auſteritates & mortificationes, ſi quas ſuſcipis, quamvis leviſſimæ, tibi videntur graviſſimæ, peccata, quæ committis, quamvis graviſſima, tibi videntur leviſſima. Verbô; quidquid boni vel mali ſenſilis in mundo reperire eſt, magnum quid eſſe videtur; quod boni vel mali in altera vita reperire eſt, non videtur tibi eſſe tanti pretii, ut non quandoque poſtponi debeat bono vel malo hujus vitæ præſentis. Tam pernitioſam illuſionem te dedocebit tunc mors, tunc oculos tibi aperiet, quos nunc claudis evidentibus fidei veritatibus: *Dives cùm dormierit, aperiet oculos, & nihil inveniet.* Jobi. c. 27.

Eccleſiaſticus ille dives, qui tantâ aviditate, tot machinis, & mediis, fortè etiam illicitis, & ſimoniacis ad Beneficium pinguius tandem eluctatus eſt, tunc clarè cognoſcet, omnia quæ finem habent, ſi cum æternis conferantur, eſſe nihilum, & purum nihilum? quale tunc feret judicium de pinguibus reditibus Eccleſiaſticis, qui ipſum ineſcârunt, & in præceps dederunt? Quid ſentiet de peccato, ut ejusmodi reditibus potiretur, commiſſo, tam parvi habito, quando committebatur? ſeipſum ſtultitiæ maximæ condemnabit, & proclamabit, quòd deriſerit Clericos probæ & exemplaris vitæ, quos imit-

tari oportebat; illos autem Clericos, qui laxæ, dissolutæ, & scandalosæ erant vitæ, mirè dilaudaverit, & secutus sit, quos cane pejus & angue fugere debuerat: tunc præsumptuosa illa de infinita misericordia Dei præsidentia concidet; tunc justus de divina justitia timor crescet in immensum: tunc omnia ponderabuntur justis sanctuarii ponderibus, & ad exactam trutinam vocabuntur, & non ad mendaces, ac fallaces mundi stateras: nunc peccatores *nesciunt, quid faciunt*, Luc. c. 23. nunc verum est: *omnis peccans, ignorans.*

Tu noli expectare, ut tunc deceptionibus ejusmodi libereris, quando hæc liberatio tibi ad nihil aliud proderit, quàm ut tuos augeat terrores: nunc disce, & seriò perpende veritates illas solidissimas, quæ nimis tardè tibi tunc aperirentur; & meritò suffundere pudore, quòd necdum didiceris summè necessariam scientiam bene moriendi, ad quam ritè capiendam tibi Deus totum vitæ tuæ concedit tempus.

Punctum tertium.

Considera, duo tantum esse genera mortis, mors bona, mors mala; prima est mors justorum; secunda est mors peccatorum; prima allicit; secunda terret; unam ex his eligere necessarium est; tuo in arbitrio est,

bene,

bene, vel male mori: itaque perpende attentè mortis utriusque proprietates, ne in facienda electione erres.

1. Mors justorum est mors dulcis, amabilis, delectabilis, sive placuerit oculos conjicere ad præterita, sive ad præsentia, sive ad futura. Si justus morti proximus considerat præterita, occurrit ipsi sufficiens materia solatii, & lætitiæ. Cernit, tandem finienda acerrima & perpetua illa certamina, quæ cum tanto labore, & sudore decertanda erant contra mundum, carnem, & dæmonem; cor proprium animos addit, eúmque reddit certum, tempus adesse requiescendi à tot laboribus exantlatis: *amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Apoc. c. 14. Respectu ipsius finitum est tempus patiendi, tempus laborandi, tempus flendi: ipse Deus siccabit, & *absterget omnem lachrymam ab oculis eorum; quia prima abierunt.*

Imaginare tibi liquidissimum solatium, quo perfundentur, illi non absimile futurum, quo Dux aliquis afficitur, post obtentam omni ex parte perfectam victoriam, debellatósque hostes cruentô periculi, timoris, & laboris pleno, decretoriô, præliô. Si præsentia considerat, quàm facilè, & libenter cor suum abstrahet, & separabit à mundo, cui illud nunquam affixit, quem pro ærumnoso exilio semper habebat; deseret sine difficultate corpus, quod non alio, quàm irreconciliabilis inimici locô habebat;

absque

absque dolore & tristitia dimittet omnia bona, dona, & gaudia terrena, quæ velut umbras vanas, fugaces, ac fallaces sinistro semper oculo respiciebat, & contemptim deridebat; è tempore, quod semper ùt proximum amittendæ salutis periculum considerabat, lætus in securum æternitatis littus transiliet: ut exultet & jubilet necesse est, quando illa sacerdotis vox ejus auribus insonuerit: *proficiscere anima Christiana de hoc mundo*: non aliter quàm jubilaret & exultaret Rex ille, qui à rebellibus subditis thronô dejectus, sceptro & regno exutus, & in dirum pulsus est exilium, ad certum nuntium, adesse tempus, quo is tristi exilio liber prodire, ad thronum ac sceptrum redire, & pacificam, perennémque regni sui possessionem postliminiò adire possit.

Si ad ea, quæ futura sunt, prospiciat, & animum advertat, judex divinus, licèt severus, eum non terret, sed potiùs solatur, non secùs, ac duci obtentis victoriis è bello reduci solatio est, si ad regem suum evocetur, ad cujus pedes ac thronum deponere possit expugnatarum urbium claves, & ex debellatis hostibus reportata trophæa. S. Aloysius Gonzaga è Societate JEsu, admonitus de propinqua morte, illud Psalmi 121. intonuit: *lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Non solus S. Stephanus est, qui moriens videat cœlos sibi desuper apertos, sed cuivis justo morienti hoc lætum

specta-

ſpectaculum exhiberi & hunc ſecurum æternæ felicitatis portum aperiri crediderim, ut in hunc non minore lætitia plenis velis invehatur, quàm mercator portum propinquîs oculis jam delibatum, tot defunctus decumanis periculis, terrâ jactatus & altô ingreditur, & aurum copioſum, merces pretioſiſſimas, theſauros ingentes in Indiis collectos, infido mari, & ulterioribus periculis ſubducat. Ita nimirum ſanctè & piè moritur, qui piè & ſanctè vivit.

2. Mors peccatoris peſſima, amara, plena timoris & terroris, quocunque vertat oculos, & animum, ſive ad præſentia, ſive ad futura, ſive ad præterita: ſi conſideret præterita, affligit illum memoria, & viva imago vitæ ſuæ actæ in peccatis, in vanitatibus, in profunda oblivione Dei, ac rerum Divinarum, propriæque ſalutis: exanimat ipſum memoria tot occaſionum ſibi à Deo oblatarum facilè conſequendi ſalutem, à ſe tamen tam turpiter neglectarum; tot inſpirationum ſurdis auribus repudiatarum; tam longi temporis, tam malè & in propriam perniciem impenſi; videt voluptatibus, quibus ſe totum mancipaverat, finem impoſitum, reditus exhauſtos, horum fontem obturatum, laudes & applauſus, quibus ipſum ſoli mali ſocii, adulatores peſtiferi excipiebant, evanuiſſe.

Ex omnibus præteritis deliciis tam olim ſuavibus, nil ipſi remanet, quàm amara memoria,

moria, & mordax dolor, quòd iis adhæserit, jámque sit nunc è mundo migrandum, in quo tamen omnes suas spes, res, & solatia habebat reposita: videt, sibi vasa colligenda, relinquenda temporalia, & terrena omnia, in quibus suam beatitatem collocaverat; videt jam proximam diram illam à corpore tam delicatè enutrito, tam tenerè, tam cœcè, & contra omne lumen sanæ rationis, ac fidei adamato, arctissimis vinculis conjuncto separationem: videt, & manibus palpat, tempus non esse amplius, quod tamen summè necessarium esset ad agendam de peccatis tot ac tantis pœnitentiam. Quidam Francisco primo Gallorum regi olim à secretis epistolis morti proximus, amaris deflebat lachrymis miseram sortem suam, quòd cùm tot centurias quaternionum papyri, ac tot chartarum scapos in scribendis tot epistolis toto vitæ tempore absumpsisset, nunc ne quidem tantillum temporis residui habeat, quo in frustillo chartæ peccata transactæ vitæ conscribat, in sacra confessione exponenda.

Si oculos & mentem ad futura extendat, supra se videbit Divinum judicem, ut ipsum justè condemnet; infra se terram dehiscere, infernun aperiri, ut ipsum absorbeat. In longè majores angustias se conjectum sentiet, quàm reus ille, qui carcerem à lictoribus aperiri audiens artubus omnibus contremiscit, pallescit, & expavescit, probè

gnarus,

gnarus, se ad supremum supplicium, ad patibulum, ad rotam educi.

Elige itaque ex his binis mortis generibus illud, quod magis placet, vel primum, nempe mortem justorum; vel secundum nempe mortem peccatorum. Sed scito, si desideras & eligis illam, vivendum erit tibi sanctè, piè, justè, prout exigit status Ecclesiasticus; nam sanctè & piè non moritur, qui sanctè & piè non vixit. Itaque propone & seriò promitte Deo tuo imposterum te sanctam & piam vitam, ut sanctos, id est, Ecclesiasticos decet, ducturum; simul ora & roga, ut tibi concedat gratiam sanctè moriendi, & vitam felici morte claudendi.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi, & salutis remedia, & vitæ æternæ munera contulisti, respice propitius me famulum tuum, & animam refove, quam creasti, ut in hora exitûs illius, absque peccati macula tibi creatori suo per manus sanctorum Angelorum repræsentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dies tertia

Meditatio sexta.

De judicio particulari.

PEractâ solitâ oratione præparatoriâ meditationi præmittes duo sequentia præludia.

In

In primo pones tibi ob oculos Divinum judicem eo modo, quo in Apocalypsi c.20. D. Joanni repræsentatus est: nimirum candidissimo, & Majestatis pleno throno insidens, luce candidâ circumdatus; quod denotat sapientiam, puritatem, & integritatem hujus divini judicis. Imaginare tibi, coram hoc tribunali animam tuam sisti illo ipso momento, quo separatur à corpore, omnibus terrenis voluptatibus, & solatiis, quibus tam avidè se eousque ingurgitaverat, spoliatam, in medio inter Angelum Custodem, & dæmonem constitutam, binos comites, qui eam ad severum justitiæ tribunal sequantur judicandam, solis stipatam operibus in vita perpetratis tam bonis, quàm malis, velut pedissequis: *Opera enim illorum sequuntur illos*, Apoc. c. 14.

In secundo rogabis Deum, ut salutari timore districti & tremendi judicii Divini concussus, viribus omnibus adnitaris peccata commissa per seriam pœnitentiam delere, & multiplicatis piis operibus expiare, nam hac unicâ viâ à Divino judice faventem tibi sententiam obtinere poteris. Utere hunc in finem verbis illis Ecclesiæ: *Juste judex ultionis, donum fac remissionis ante diem rationis*: vel verbis illis Psalmi 118. *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui*: & hæc ipsa verba sæpiùs interdiu repete.

Ipsam meditationem in hæc tria puncta dispes-

dispesces. 1. Accusatio. 2. Examen. 3. Sententia.

Punctum primum.

Considera, in illo ipso loco, in quo animam efflabis, in illo ipso cubili, in quo fortè sæpiùs, seposito omni timore divini judicii, gravissimè Deum offendisti, statim erigendum esse tremendum tribunal, è quo æternus judex tuam causam summarissimè, in uno, & quidem brevissimô temporis momentô decisurus sit, in uno momento, ex quo tamen dependet æternitas. Ad hoc tribunal te citabunt tres accusatores. Primus erit dæmon: secundus erit tuus Angelus tutelaris. Tertius tua propria conscientia.

1. Aderit igitur dæmon, qui accuset, primus, qui in Apocalypsi c. 12. appellatur *accusator fratrum nostrorum, qui accusabit illos ante conspectum Dei.* Protrahet ille in lucem omnia illa peccata, quæ tu commisisti ipso instigante, ipsius instigationibus obediens: quin veris suis accusationibus admiscebit plures falsas, ex meris suspicionibus ortas, nam licèt sit perspicacissimo intellectu præditus, tamen hujus acie penetrare, & indubitatè cognoscere non potest secreta cordium, nec occultas animi intentiones: has accusationes coram Deo, qui est scrutator

cordium, intima quæque rimatur ac abstrusissima penetrat, facilè quidem refellere poteris, sed quomodo illa delicta, nimis quàm vera excusare, negare, aut elevare poteris, quæ tibi ab hoc accusatore clarè sub oculos ponentur?

Sit igitur hoc tuum inconcussum animi propositum, imposterum omnibus collectis viribus tam fortiter omnes illius retundendi assultus, & suggestiones, ut nihil in te culpæ, de quo te accuset, inveniat. Alterum esto, ut per sinceræ pœnitentiæ satisfactoria opera, lachrymas, vel etiam flagris ultoribus piè elicitum sanguinem, pejorum peccatorum fœdas maculas omni conatu eluere studeas; sic enim veris hujus adversarii accusationibus poteris opponere has veras tuas satisfactiones, debitorum grandium expunctiones, & lytri ad abundantiam solutiones, divinæ justitiæ præstitas.

2. Ipsa tua conscientia insurget contra te, & fungetur officio Accusatoris, ac testis fidelis omni exceptione majoris, ita ait S. Paulus ad Rom. c. 2. *testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cùm judicabit Deus occulta hominum.* Et en te ipsum coactum ad ratihabendas ejusmodi accusationes, sive depositiones, contra te ipsum factas, ita ut in hoc tribunali justitiæ, rei, accusatoris simul & testis officiô tibi fungendum sit, eo ferè modo, quo tibi in

tri-

tribunali clementiæ, in Sacramento Pœnitentiæ, triplex hoc officium sustinendum est.

Conscientia erit liber ille, in quo omnes iniquitates tuæ descriptæ, & diligenter & distinctè annotatæ legentur, liber, *in quo totum continetur*, contra cujus valorem, aut auctoritatem opponi non poterit ulla exceptio legitima. Cura igitur, ut imposterum diligentius auscultes vocem monentis, vel latratus remordentis conscientiæ, ejúsque ductum, dum adhuc in via es & hoc comite ad tribunal inexorabile æterni judicis magnis passibus properas; ut non necesse habeat te accusare, quin te possis excusare: *Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro & in carcerem mittaris.* Matth. c. 5.

3. Ipse Angelus tuus custos erit & accusator, & testis; contra te testabitur, quòd suis paternis consiliis, & internis instinctibus sæpiùs neglectis, & surda aure præteritis, discolorum ac pravorum sociorum invitationibus te facilem & obedientem præbueris, impiger ad currendam viam iniquitatis, assiduus in frequentandis periculosis, & perniciosis conventiculis: addet angelus amaram exprobrationem, & dicet: cùm igitur spem & fiduciam tuam posueris in his pessimis consiliariis tuis, ito jam consilium & opem ab ipsis pete: *Surgant & opitulentur vo-*

bis, & in necessitate vos protegent. Deuter. c. 32.

Qua fronte tunc poteris excipere tam falsas, veras tamen & justas exprobrationes ab eo tibi factas, qui tibi semper amicus addictissimus, & fidelissimus fuit? an non ad has voces ceu fulmine afflatus obrigesces? Conclude igitur tecum, eo animo & affectu Angeli tui custodis te amplexurum & impleturum consilia, quo ille tibi hæc imposterum suggesserit, ut tuus coram illo tribunali tremendo sit advocatus, non minus eloquens & strenuus, quàm fuerit custos, & protector fidus, ac pius erga te suum clientem per totius vitæ decursum. Venerare & reverere tuum tutelarem Angelum, memineris, eum tibi ubique esse præsentem, ubique hærere lateri, atque adeò, ut S. Bern. in Psalmum 90. monet, *in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe.* Nunquam in ejus conspectu ullum committe peccatum, ne te coram divino tribunali accusare cogatur, aut possit. Demississimè veniam pete, tibique ignosci roga, tot titulis debitæ gratitudinis, & reverentiæ neglectum; meliora sponde imposterum, & hujus neglectus uberem compensationem.

Punctum secundum.

Considera examen, quod contra te in hoc tremendo judicio instituetur. In hoc occurrent

rent tria notatu dignissima, quæ nunquam concurrunt in ullo judicio, quando in foro criminali discutitur causa rei alicujus, sive delinquentis; videlicet 1. universalitas ad omnes 2. rigor districtim & distinctè se ad minutissimas etiam culpas extendens. 3. Evidentia criminum.

1. Examen, cui coram Deo judice subiciêris, erit universale, quia de quovis delicto accusaberis, & rationem reddere debebis, sive sint peccata commissionis, sive omissionis: sive sint peccata oris, sive operis, sive sint solummodò interna, sivè etiam externa; licèt de illis in nullo foro aliàs judicetur, præterquam in hoc divino. Computemus solas cogitationes; heu quot intra unius horæ spatium mentem transvolant, quot intra spatium diei, septimanæ, mensis, & anni integri? quot myriades, & myriadum myriades per totius vitæ longævæ decursum! cogitationes superbæ, vanæ gloriæ, invidæ, iracundæ, vindicativæ, avaræ, gulosæ, impuræ! cogitaiones, quas quidem innoxiè, & sine ullo inquinamento mentem transcurrisse tibi temerè persuades, eò quòd peccatum opere externo non consummaveris; nec advertis, quòd in ejusmodi cogitationibus repellendis fueris oppidò deses; quòd forte cogitationi adjuncta fuerit morosa delectatio, si non omnino consensus aliquis voluntarius. Quòd autem, quæ animo pessimè designaveras, executioni non

dederis, fors non ex defectu voluntatis, sed ex defectu facultatis, & commodæ occasionis contigit. Fortè coram Divino judice tam innocens non invenieris, quàm innocentem te esse in examinibus tuis, quæ sacris confessionibus præmittere soles, tu tibimetipsi blandiris, vel saltem qualem te fingis coram superioribus tuis, vel etiam coram conscientiæ tuæ arbitris, quibus in sacro Pœnitentiæ tribunali totum cor & hujus intima quæque pandere deberes.

Tunc enimverò aliter senties de rebus hujus vitæ, & magni momenti esse judicabis, quod modo pro levi & inani nimis timidæ mentis scrupulo habes, & contemnis, velut jocum, velut culpam exilem, & vix aptam pro sacro tribunali materiam abjicies. Ad claram lucem, quam tibi tunc divina Christi Sapientia accendet, videbis quàm magni & graves sint defectus illi, quos hactenus vilipendebas, & inter festivos jocos numerabas. Verba, quæ in sacro tribunali otiosa vocabas, agnosces fuisse verba impura, quæ vocabas impura, advertes, fuisse scandalosa; illa quæ nominabas verba inconsiderata, advertes, fuisse meras murmurationes.

Tunc patebit, quàm deformia sint omnia illa opera prava, quæ tibi olim videbantur gloriosa, laude & encomio digna: ostendent se tunc omissiones culpabiles variæ, quæ hucusque oculorum tuorum aciem subter-

terfugerant; ex harum numero erunt, quòd neglexeris corrigere proximum tuum, ad quod te ſpecialiter obſtringebat ſtatus Eccleſiaſticus; quòd omiſeris pauperibus eleemoſynas erogare ex ſuperfluis tuo ſtatui, ſpecialiter ex iis proventibus Eccleſiaſticis, tibi abundanter affluentibus: quòd omiſeris gregem, tibi à Chriſto concreditum, paſcere exemplô, verbô divino, & adminiſtratione Sacramentorum.

Nec tibi perſuadeas, ſolummodò peccata à te ipſo perpetrata in judicium adducenda; augebunt cumulum peccatorum tuorum etiam peccata aliena, quorum te reum & participem feciſti, vel hæc non impediendô, utì debuiſſes, & facilè potuiſſes auctoritate tuâ Eccleſiaſticâ; vel hæc etiam promovendô tuo exemplo, tuo conſilio. Unica cantilena ingenioſo venereorum ſalium venenô condita, à te compoſita, vel in lucem protruſa, vel non oppreſſa, quot malorum & peccatorum te reum non facit? tu tamen te de uno ſolo peccato accuſas, ſi tamen te accuſas; & in hoc facto unum tantùm peccatum agnoſcis, cùm interim coram divinis oculis computetur pro peccatis centenis & millenis, dum variorum ac plurimorum lectorum pervolitans manus, omnium animos lethaliter inficit, & inquinat. Unica detractio, qua alterius bonam famam denigrâſti, dum de lingua in linguam, de aure in aurem tranſit, & ſic totam urbem vel vici-

niam pervagatur, heu quot aliarum detractionum fuit fœcunda parens? ô quàm longa catena culparum inter se connexarum apparebit, ubi tamen credebas latére unam, & hanc non gravem: aperies tunc oculos, quos hactenus semper clausos tenebas, ne propriam turpitudinem videre cogereris:

Ah! noli differre horum apertionem tamdiu, donec cognitio tuarum miseriarum tibi ad animæ tuæ salutem jam nihil ampliùs conferre possit; sed ad pedes crucifixi Salvatoris prostratus, fatere & detestare cœcitatem tuam, qui modò est ipsa clementia; & tunc erit ipsa justitia; ipsíque promitte seriam emendationem.

2. Nec putes, graviora tantùm delicta tua judici esse proponenda; producentur etiam culpæ minutissimæ quæque: ratio strictissima reddenda erit non tantùm de verbis inhonestis, scurrilibus, contumeliosis, mordacibus &c.; sed etiam de verbo omni otioso, & inutili: *de omni verbo otioso reddent rationem in die judicii.* Matth. c. 12.

In tribunalibus hominum ad minutias judex nunquam attendit; nimio enim fatigaretur labore: *de minimis non curat Prætor.* Verùm in tribunali, ubi judex nunquam fatigatur, culpa nulla tam exigua, tam minuta est, quæ non judicio subjiciatur, ipsa opera alioquin bona, & sancta, ad lapidem lydium probabuntur, & examinabuntur, ùt Dominus

nos

nos per Davidem Pſ. 74. præmonet: *Ego juſtitias judicabo.*

Inquiretur, & ratio petetur, cur præſcriptum precum Canonicarum penſum diurnum toties tam tepidè, tam diſtractô ad alia animô, omni ordine, & ſtatuto aliàs tempore ſine cauſa neglecto, deproperaveris; cur toties ſine omni prævia diſpoſitione animi tremendum ſacrificium DEO ad aram obtuleris; cur ſacras confeſſiones tuas ſine contriti cordis teneritudine, & firmo vitam in meliùs mutandi propoſito, obiter & perfunctoriè peregeris? an non eleemoſynas diſtribueris Phariſæorum ritu, ut vanam emeres apud homines gloriolæ auram? an non potiùs lucrum captandi, quàm animam ſalvandi gratiâ moribundis adſtiſti? comitatus es, vel duxiſti publicas ſupplicantium proceſſiones; ſed quâ modeſtiâ & fervore? adfuiſti mortuis ſepulchro inferendis; ſed quem in finem? adminiſtrâſti petentibus Sacramenta, ſed quomodo? inter tot bona opera à te patrata an vel unum unicum reperire erit, quod ſit purum, ab omni tabe & labe defæcatum, & non ſaltem ex aliqua parte infectum, aliquâ maculâ aſperſum, à vermiculô latentis amoris proprii, vanæ gloriolæ, propriæ complacentiæ, humani reſpectûs arroſum? Ut arbor non ſuccidatur, & in ignem conjiciatur, non ſufficit, dummodò fructus producat intuitu, & externa ſpecie bellos, bonitatem menti-

entes instar pomorum Sodomiticorum, si interius omni succo, sapore & nucleo, & pulpâ destituti, os gustantis cinere vel pulverea vermium, nucleos corrodentium scabe cum nausea impleant.

Tu tanti æstimas opera tua bona, quæ tibi facere videris non pauca, sed Deus hæc parvi faciet, vel omnino condemnet, qui hæc videt undique plena defectibus, & imperfectionibus, imò hæc ipsa tibi objiciet, & exprobrabit tanquam novum ingratitudinis, & tepiditatis tuæ argumentum? Quid repones interoganti, cur tot inter occasiones optimas facilè proficiendi in virtutibus, nunquam tamen è tua tepiditate emerseris, aut frigus cordis tui discusseris? quid dices? ubi conspexeris integrum cumulum beneficiorum, donorum & gratiarum tibi à Deo concessarum, quibus ignavè usus, vel potiùs omnino abusus es? *quid sum miser tunc dicturus.*

Ne cadas animô, sed propone seriò, quòd imposterum te Deo tuo ob sua tibi collata beneficia innumera magis gratum exhibiturus, & longè majori fervore, accuratione, attentione, & intentione functiones tuas Ecclesiasticas omnes peracturus sis, ut à supremo judice in illo rigido tribunali non pœnam timere debeas, sed mercedem ac præmium jure expectare possis.

3. Probationes tuorum delictorum non aliunde, sed à te ipso sumentur, nam loco

omni-

omnium probationum erit lux clarissima à Deo tibi infusa, quæ animæ tuæ deteget omnia tua peccata, ita ut ne unum quidem, etsi minutissimum, & altâ oblivione pridem sepultum, maneat occultum. Si in locis abditis, & angulis domûs aliquid deperdatur, accensâ etiam lucernâ lustrantur & excutiuntur omnia, quin tota domus everritur, donec inveniatur: hoc ipsum observat Deus in rigido judicio suo: accendet in anima tua tam clarum lumen, ut omnia, etiam minima, & arcanissima quæque non aliter, quàm minutissimæ atomi, per aërem circumvolitantes, ubi solis radii in cubiculum penetrant, distinctè dispiciantur: ita prædicit: *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Soph. c. 1.

Enimverò ad probationem tam claram siderata, & sui impos adstabit anima evidenter convicta. O quanto desiderio rediret in hunc orbem ad redordiendam denuo telam vitæ, tam malè ac luridè textam! Nunc, nunc tempus non solùm sufficiens, sed etiam superabundans ad manus habes, quo te tantæ confusioni subtrahere facilè potes, si judicem supremum prævenire, & tui ipsius severus, & minimè indulgens judex esse, te ipsum ad districtum & accuratum examen sæpiùs, ac quotidie vocare, judicare; & deprehensis nævis, ad justam pœnam, seriam pœnitentiam, & vitæ emendationem irrevocabili sententiâ condemnare velis. Amplectere consilium S. Petri Chrysologi, si

qui-

quidem rigorem horrendum divini judicii cupias evitare, ita suadentis: *ne judicemur, judices nostri simus.* Serm. 167. addit causam ex divo Augustino desumptam: *amat enim Deus confitentibus parcere, & eos, qui se ipsos judicant, non judicare*; juxta illud Apostoli 1. ad Cor. c. 11. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Punctum tertium.

Considera sententiam, quæ in hoc tribunali feretur, æquissimam, à qua ad aliud tribunal nulla detur appellatio, & celerrimam sine omni mora, interposita dilatione aut mitigatione executionem.

1. Si quis ex numero Ecclesiasticorum tunc à Christo inventus fuerit suo officio defuisse, & se ministrum Dei exhibuisse indignum, hoc terribili tonitru oris sui eum percutiet & consternabit Christus judex: *Discede à me maledicte in ignem æternum.* Discede, procul hinc, serve nequam, intolerabilis jam mihi est tua præsentia: procul esto à Deo, principio tuo primo, & unicâ tuâ beatitudine: procul à cœlesti Beatorum patria; quam neglexisti, contempsisti: procul, procul esto, æternus exul, in æterno miserrimo exilio. *Discede à me maledicte*: maledictus in corpore, maledictus in omnibus animæ facultatibus; maledictus in intellectu,

quem

quem vermi illi immortali in prædam cessisti; maledictus in voluntate, quam æternæ, nunquam finiendæ desperationi mancipâsti: maledictus quoad locum, maledictus quoad tempus, maledictus quoad æternitatem, & in perpetuas æternitates: I, discede in ignem æternum, in quem te præcipita pondus gravissimum tuorum peccatorum. Hæc est sors & pars hæreditatis tuæ, quam elegisti, accipe hanc, & fruere illâ in æternum: relinquo, & desero te in omnibus dæmonum potestati; hi cùm fuerint semper tui amici, & familiares socii in terra, sint imposterum semper tui carnifices in inferno.

Ad tam horrendum fulmen, ô peccator, qualis & quantus pavor! quantus horror & tremor! quantus furor! quæ rabies desperatissima! maledicet & ipse voluptates, quas tam ardenter & cœcè adamaverat; beneficia Ecclesiastica, quæ modis & artibus illicitis indeptus est; reditus Ecclesiasticos, quibus ditavit nepotes, cognatos, vel affines; & quidquid ejus æternam damnationem promovit.

E diverso Ecclesiasticus, qui mensuram nominis & officii sui, strenuè, & ex omni parte implevit, cùm audierit decretoriâ divini judicis sententiâ: *Venite Benedicti*, se ad percipiendam debitam mercedem vocari, ad æternam beatitudinem, ad perennem gloriam invitari, ô quantô solatiô perfundetur! quàm vasto & liquido innatabit gaudio-

diorum mari! o quàm lœtô animô benedicet constantiam, qua invictus perstitit, & perseveravit usque ad finem, in obsequio, & servitio Divino; labores impensos, sudores sparsos ut suum adimpleret officium: optimè factum, dicet, quòd libertati, & cupiditatibus meis non nimis frænum laxaverim; quòd me vitæ nimis liberæ, vanæ ac dissolutæ non dederim, quò me tamen libertinorum crebræ invitationes, & exempla trahebant. Benedicet suam vitam solitariam, à turbis sæcularibus, à periculosis conversationibus fugam, vitam pœnitentem, & optimi exempli, quam videt in æternum jam converti solatium.

Nunc tecum discute, quam ex his duabus decretoriis sententiis à divino judice exspectare, & tibi promittere possis: hoc facilè colliges ex modo vivendi, quem modò tenes: si ex hoc concludere cogeris, primam, ac reproborum sententiam tuo capiti imminere, & timendam esse, gratias age ingentes optimo DEO, quòd sufficiens tibi tempus concedat ad emendandum errorem, ut per pœnitentiam, vitámque meliorem imposterum instituendam, merearis secundam, id est meliorem sententiam; horrorem tibi incutiat præsentaneum periculum amittendæ per sententiam justi judicis æternæ salutis, cui toties te hactenus exposuisti: & tibi præfige talem posthac vivendi methodum, ut in ultimo vitæ momento

mento, & mortis puncto, ſtans ante tribunal divinum, audire poſſis mille benedictiones, & nec unam maledictionem; lætum pæana: *venite benedicti:* & non funeſtum epicedium: *Diſcedite à me maledicti*, quo, ut æternùm deplorareris, toties dignum te reddideras.

2. Sententiam vix integrè prolatam inſtantanea ſequetur executio. Mox anima peccatrix ſpoliabitur gratiis, & donis omnibus ſupernaturalibus, poſt peccatum adhuc reſiduis; qualia ſunt habitus fidei & ſpei, omnes gratiæ, quas vocant gratis datas: exuetur inſuper habitibus virtutum moralium, & politicarum, tempore hujus vitæ acquiſitarum, remanentibus ad majus probrum & tormentum, ſolis tribus characteribus, quos ipſi impreſſerunt indelebiles baptiſmus, confirmatio, & ſacri Ordines, *denudabunt te veſtimentis tuis ... & dimittent te nudam, & ignominiâ plenam.* Ezech. c. 23.

Pone tibi ob mentis oculos ſacerdotem, hoc ipſo nomine indignum, ob enormia ſua ſcelera tamen digniſſimum, qui vivus comburatur; hic ab Epiſcopo, priusquàm ſæculari brachio tradatur, omnibus ſacris veſtibus, quibus indutus huic judici Eccleſiaſtico ſedenti pro tribunali ſiſtitur, ſingulatim exuitur, probrosè denudatur, erasô ex corona capitis, & inunctis digitis ſacrô, quod imbiberant, oleô, de gradu ſacerdotali deturbatur, & impactâ in tergus calce, in ſatellitum, & carnificum manus ignominio-

sè protruditur. Huic non absimilem scenam adornabit Christus, qui à D. Petro Ep. 1. c. 2. vocatur *Pastor & Episcopus animarum*; quando judex pro tribunali sedens, animam peccatricem dignitatis suæ gradu motam, in æternæ ignominiæ infimam abyssum præcipitabit; tollet ipse cingulum fidei, stolam spei, amiculum suæ protectionis, & ita derelictam ab omnibus, etiam suô Angelô tutelari destitutam, cum perpetua infamia & ignominia, inexsplicabili pudore obrutam, in manus cruentas infernalis inimici conjiciet; qui eam in profundum orci barathrum demerget, ut inter æterna tormenta mortem vivat æternam.

Huc evadit vita illorum Ecclesiasticorum, qui tot gratiis, donis, & prærogativis à Deo præ aliis ornati, his vel non utuntur, vel in propriam perniciem, & majorem pœnam pessimè abutuntur. O quàm horrendum spectaculum, Dei minister in manibus dæmonum, qui illum secum in infernum abripiunt! sola imaginaria repræsentatio hujus tragœdiæ tibi meritò horrorem incutit, ah! quid foret, si tu ipse in hac actor fores? si cum hac tristissima catastrophe tuam vitam finires?

Forsitan hunc salutarem timorem incutiendô, pluribus peccatoribus saluti fuisti; forsan plures oviculas à salutis semita longissimè aberrantes hoc medio lupi infernalis dentibus ereptas, ad caulam, ad cœlum

redu-

reduxisti; & quod aliis præstitisti, non præstabis tibimetipsi?

Ora & obsecra tuum judicem nunc, cùm adhuc fungitur officio Advocati, per pretiosissimum sanguinem, quem pro te fudit in monte Calvariæ, ne te sinat perire æternùm; & clama ad illum: Domine JESU Christe Fili DEI vivi, pone Passionem, crucem & mortem tuam inter judicium tuum, & animam meam nunc & in hora mortis meæ, & mihi lagiri digneris gratiam & misericordiam, ac denique vitam & gloriam sempiternam. Amen.

Dies quarta

Meditatio septima.

De judicio universali.

POst orationem præparatoriam præmittes Meditationi sequentia duo præludia.

Primum esto, ut tibi imagineris, pandi tibi in valle Josaphat amplissimum, & vastissimum amphitheatrum, in cujus sublimissima parte conspiciendus sit Christus Regis instar in alto, splendido, & Majestatis pleno solio sedens; ad ejus dexteram assistat beatissima Virgo, instar Reginæ; thronum cingant tota curia cœlestis,

Angeli, & Sancti omnes: infra Sanctos proximè magnus ille populus omnium Electorum. In area tandem hujus amphitheatri prorumpunt è suis caveis bestiæ ac feræ atroces, ut reos, ad feras damnatos dilacerent, & devorent, id est, sunt dæmones, & ingens turba reproborum totis artubus contremiscentes & timore exanimati in illo tot millionum & millionum hominum, & Angelorum conventu, totiúsque curiæ cœlestis consessu.

Secundum sit, ut gratiam à Deo petas, quâ suffultus discas ex hoc tremendo judicio, ita imposterum vitam tuam instituere, ut cùm hoc instituetur, locum inter electos obtineas altiorem, & securum in hoc theatro, & non ad fæcem reproborum, qui ferale & terribile spectaculum toti in unum congregato mundo erunt, in profundum detrudaris: hunc in finem adhibe hæc verba Ecclesiæ: *Recordare Jesu pie, quòd sum causa tuæ viæ, ne me perdas illa die: Inter oves locum præsta, & ab hœdis me sequestra*: vel adhibe sequentia: *Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, dum veneris judicare, noli me condemnare.* Utere his ipsis pro orationibus jaculatoriis hoc antemeridiano tempore.

Meditatio in hæc tria puncta dividi potest. 1. Quæ judicium præcedunt. 2. Quæ illud comitantur. 3. Quæ illud subsequuntur.

Pun-

Punctum primum.

Considera ea, quæ præcedunt hoc judicium universale, esse totius naturæ, ac mundi eversionem, & perturbationem, mortuorum resurrectionem, justorum à reprobis separationem, & judicis adventum.

1. Signa, quæ tam à Prophetis, quàm ab Evangelistis describuntur, hunc decretorium judicii diem præcedentia, & jam in foribus existentis nuntia, totum terrarum orbem sus deque vertent, calamitatibus & terroribus implebunt: Deus enim illatas sibi injurias vindicaturus, *armabit* Sap. c. 5. *creaturam ad ultionem inimicorum - - & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.*

Sol obscurabitur: luna sanguineo rubescet colore: stellæ cadent de cœlo; corpora cœlestia, omnes sidereæ machinæ dissolventur: quatuor elementa, ex quibus terraqueus globus conflatus est, turbabuntur, & inter se collidentur, non aliter quàm appropinquante morte, quatuor humores humani corporis inter se pugnant, & internecina bella cient: aër densis obvolutus tenebris, non alio illustrabitur lumine, quàm momentaneis, & terrificis, quas fulmina evibrant, flammulis ac scintillulis: mare immugiet horrendùm, nec se continebit am-

pliùs intra præſcriptos limites: terra ſtabilitatis, & gravitatis ſuæ oblita palpitabit, & titubabit ſub pedibus hominum, unico motu integras, quamvìs firmiſſimas civitates cum arcibus, turribus, domibus & incolis funditùs evertet, & contumulabit: ignis ex quatuor mundi partibus prorumpens, mox in immenſum ſe dilatabit, & inſtar maris, flammis totum orbem inundabit, ac brevi temporis ſpatio abſumet omnia, in cineres rediget omnia, arbores, agros, campos, palatia, urbes, aurum, theſauros, divitias, animalia, & homines: *terra, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.* 2. Petr. c. 3.

Effundet tunc iram ſuam offenſus Deus non ſecùs, quàm illam effundere ſolet, è longinquo itinere redux maritus Zelotypus, contra uxorem datæ, ac juratæ fidei immemorem, & perfidam, quam in flagranti, in adulterio deprehendit; hujus enim vindex furor non ſolùm in adulteram deſævit, ſed in omnem etiam mundum muliebrem, in omnia ornamenta, in pretioſas ac ſpecioſas veſtes, in gemmas, monilia, in adamantinas inaures, in torques aureas, in uniones, in ſtibium, ceruſſam, in pyxides argenteas, in ipſa ſpecula, & quidquid tandem ad turpes hos, & perfidos amores inſtrumentum eſſe, vel aliquid conferre potuit; hæc enim omnia confringit, dilacerat, diſcerpit, terræ allidit, pedibus conculcat, & tandem in flammas conjicit. Ita profectò

Deus

Deus irritatus justum suum furorem effundet non solùm in homines prævaricatores, sed contra creaturas omnes, quibus tanquam instrumentis usi sunt ad offendendum Deum.

Contemplare jam faciem mundi ita deformati, destructi, eversi, dilaniati, & in propriis cineribus sepulti, & disce, quanti sit mundus æstimandus, & mundi bona omnia, quibus tamen tantâ aviditate inhias, ea potissimùm de causa, ut nepotes & consanguineos dotes, ac dites: disce æstimare sola bona opera, quæ nunquam pereunt: disce justa lance ponderare gravitatem peccati mortalis, quæ cum tuâ etiam totius mundi ruinam secum trahit; immensum odium, quo Deus peccatum persequitur; nam hoc in causa est, cur Deus etiam innocentes creaturas irâ sua & pari ruina involvat, terram, elementa destruendô propter exile obsequium, quod suis offensoribus coactè potiùs, quàm sponte præstiterunt; sicut rex quandoque destruit, & funditus evertit domum illam, in qua perduelles subditi conjurationis telam contra suum dominum ordiri, & pertexere ausi sunt.

2. Omnia hucusque enarrata, sunt tantùm *initia dolorum*, Matth. c. 24. Archangelus animabit tubam illam sonoram, omnesque mortuos citabit, ut compareant coram divino tribunali, & intersint judicio universali; *tuba mirum spargens sonum coget omnes*

ante thronum. Ad feralem clangorem hujus buccinæ, qui tantum incutiebat terrorem doctorum maximo D. Hieronymo, mortui omnes virtute divina suscitati è suis resurgent sepulchris, postquàm animæ suis corporibus nexu nunquam ampliùs dissolvendô denuo conjunctæ fuerint: & quamvìs omnia corpora non manca, vel mutila suam sint habitura membrorum integritatem, non tamen omnia sunt easdem habitura qualitates, & proprietates. Reproborum corpora erunt deformia, fœtida, horrida, instar titionum infernalium nigra. Corpora Electorum erunt pulchra, formosa, splendida, quatuor dotibus, quæ gloriosis corporibus propriæ sunt, exornatæ.

Quantus erit horror animæ reprobæ, reluctantis quidem coactæ tamen se tam fœdito corpori, vel potiùs perpetuo carceri includere, & unire! quibus illud maledictionibus ad primum statim conspectum non incesset, & obruet! quàm acerbè ipsi obtrudet, quòd jam cum ipso æternùm cogatur luere bestiales illas voluptates, quas ipsi indulgere importunis stimulis & impulsibus adacta fuerit. E diverso, quàm sincerô solatiô non perfundetur anima electa, cum recipiet corpus suum jam gloriosum! quantis illud excipiet benedictionibus, quòd omnia, etiam dirissima quæque toleranda invictâ patientiâ semper aptum se instrumentum exhibuerit ad cumulanda merita, ad coronam gloriæ,

riæ, qua nunc unàcum ipsa exornandum esset?

Omnibus nobis alterutro modo resurgendum, & in extremo judicii die coram divino judice, & universo mundo comparendum erit; quis præplacet? qualem credis futuram tuam resurrectionem? animos adde corpori tuo, & hortare, ut nunc lubens amplectatur pœnitentiam, mortificationem; ut toleret adversa, forti & constante patientia, sufferat dura & dira omnia; nam ita sortietur resurrectionem felicem ad percipiendam gloriam, & non infelicem ad tolerandam pœnam.

3. Immensa multitudo à morte suscitatorum in duas partes oppositas separabitur ab Angelis: *exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum.* Matth. c. 13. Ecclesiasticus ille, qui videbatur sedulus pastor in vestimentis ovium, sed reipsa lupus rapax, non poterit ampliùs se tegere fallaci velo, aut larvâ hypocrisiæ, non poterit ampliùs se indiscriminatim associare, & immiscere proborum Ecclesiasticorum cœtui; sed separabitur non aliter, quàm zizania à frumento, quàm palea à grano, & hærebit terræ affixus, reproborum fæci immixtus, attonitus, pavens, ac tremens; dum interea pars altera, nempe ingens Electorum exercitus in altum elevatur, obviàm supremo judici iturus, & venientem excepturus: *Rapiemur in nubibus obviàm Christo in aëra.* 1. Thess. c. 4.

Qua invidiâ non mordebitur sacerdos

ille, qui in terra hærens, lividis oculis contuebitur suum sacellanum; Parochus ille, qui suum Parochianum; Confessarius ille, qui suum filium spiritualem; præsul ille, qui suum subditum in aëra inter Electos sublevari? Quæ sors in die illa tremenda te tanget? indubitatum, & certum de fide est, alterutram te manere: si autem in hac vita partes impiorum sequi eligis, ne speres, te in altera vita Sanctorum choro adnumerandum esse.

4. Sed en! cœlum aperitur; Filius DEI, lucidæ nubi insidens, ex alto demittitur; *in nube cum potestate magna, & Majestate.* Luc. c. 21. Sacratissimum ejus Corpus tam splendidum erit, ut ipse hoc illi comparatus, tenebricosus, & obscurus videri possit; ejus latus stipabunt Spiritus Angelici in suas Hierarchias, ac choros divisi, cum Angelorum Regina ad dexteram sui filii divini. Hanc copiosissimam processionem præcedit sacrum crucis labarum; ad hujus conspectum homines omnes in effusissimas prorumpent lachrymas; hi præ dolore, quòd illam fugerint; illi præ gaudio, quòd eam amplexi fuerint: *tunc parebit signum filii hominis in cœlo, & plangent omnes tribus terræ.* Matth. c. 24.

Ita rex gloriæ descendet in vallem Josaphat; & jam terræ vicinus conscensô suô tribunali jubebit assidere in primo quidem subsellio, virgineam suam Matrem, subinde Apostolos virósque Apostolicos, ac religio-

sos,

ſos. In conſpectu tam venerandi, & majeſtate pleni conſeſsûs adſtabunt timidi, & trepidi omnes impii, cernéntque ringentes, in ſuos Judices conſtitutos, quos priùs pedibus calcaverant, & acerrimè perſecuti fuerant: ſummum terrorem illis incutiet vultus ſupremi Judicis torvus, & nihil niſi implacabilis iras, & minas ſpirans, ita ut mallent montium collabentium ruinis obrui, quàm hunc terrificum aſpectum ſuſtinere: *tunc dicere incipient montibus, cadite ſuper nos, & collibus, operite nos.* Luc. c. 23. Quinimò ardenter optabunt potiùs in ipſo ſepeliri inferno, quàm trucem & furore nunquam ampliùs mitigando ardentem Dei, toties offenſi, & palmaribus injuriis audacter, & pertinaciter affecti, faciem contemplari; illúdque Jobi c. 14. repetent: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me?*

Huic tragœdiæ tu quoque, qui hæc meditaris, aderis, quin etiam pars magna eris: roga Deum, ut has ſolidiſſimas veritates altùm animo tuo imprimas, nam hæ te à peccatis abſtrahent, & id apud te efficient, ut in vaſto illo theatro non conſpiciaris infami ſceleratorum turbæ immixtus.

Punctum ſecundum.

Conſidera illa, quæ judicium univerſale comitabuntur, & ſunt potiſſimùm hæc tria.

1. revelatio conſcientiarum ſive cordium. 2. objurgatio judicis. 3. condemnatio reorum.

1. Dies ultimi judicii vocatur ab Apoſtolo: *dies iræ, & revelationis* ad Rom. c. 1. nam die illa à Deo omnium hominum conſcientiæ, ſive corda mundo aperientur, & publicæ, ut ita dicam, anatomiæ ſubjicientur: & ſicut peritus anatomicus, ut ſymmetriam partium internarum corporis humani demonſtret, partes internas ex diſſecto corpore evolvit ſuper externas, atque ita partes ex natura ſua patulas abſcondit ſub partibus aliàs occultis; has verò facit patulas, omniúmque oculis manifeſtas; ita hic ipſe modus etiam obſervabitur in die extremi judicii. Exterior illa facies, ſive apparentia Eccleſiaſtici, ſtolæ, mitræ, infulæ, pilei etiam rubri, inſignia doctoratûs, fictitia probitas, ſimulata ſanctitas diſparebunt, latebunt, nec diſcerni poterit Parochus ab Epiſcopo, nec ſimplex Clericus à Cardinali. E contrario omnia interna, quæ hactenus abſcondita latebant, manifeſtabuntur; patebit turpitudo, & deformitas picta, & mendacibus tecta coloribus: *confiſa es in mendacio; unde & ego nudavi femora tua, & apparuit ignominia tua, adulteria tua, & hinnitus tuus, ſcelus fornicationis tuæ.* Jer. c. 13.

Si & tu ex illorum tribu eſſes, qui peccata ſua excuſant, extenuant, diſſimulant, & fuco oblinunt, etiam in ſacro tribunali,

ſcito

scito orituram tandem diem, quâ cogéris peccata tua cum extrema confusione, summóque pudore confiteri, & sincerissimè patefacere jam non in secreto, & uni tantùm arctissimis silentii legibus astricto homini clàm in aures insusurrare, sed palàm universis hominibus & angelis in unum collectis. Aperientur sepulchra illa dealbata, quæ in sinu suo tam fœtida fovebant cadavera; liquescent & diffluent nives illæ candidæ, quibus sordida ita teguntur sterquilinia, ut pulchritudine sua hortos & agros æquare videantur. Scindetur velum illud innocentiæ fictæ, quo te contra communem infamiam tantisper defendit sollicita hypocrisis, & ita incides *in opprobrium, & ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.* Jer. c. 23.

Præveni hanc publicam confusionem exactissima animi tui discussione, & enucleatâ peccatorum tuorum confessione; nam sicut bona opera reproborum in publicum producta horum confusionem & vituperium augent, cum demonstrent eorum ignaviam supinam, & inconstantiam non perseverando in bene cœptis, nec amplectendo consilia ab ipsismet suggesta aliis, ita peccata Electorum manifestata non erunt ipsis probro, sed potiùs honori, quippe qui noverint ex hoc veneno tam salubrem medicinam, ex hoc fimo tam pulchros flores & dulces pœnitentiæ usque ad mortem constanter protractæ fructus educere. Si fortassis nunc

non

non ſatis comprehendis, quanta ſit futura confuſio hominis coram toto mundo proſtituti, & omnium hominum contemptui, & ludibrio expoſiti, eam fortè ob cauſam, quòd tua tibi peccata non adeò videantur deformia, imò ad hæc etiam ridere vel omnino te jactare publicè audeas; notum tibi ſit, quòd lumen ſapientiæ divinæ in die illa non ſolummodo numerum, ſed etiam malitiam tuorum peccatorum clariſſimè ſit manifeſtaturum: *manifeſtabit conſilia cordium.* Viden peccatum ex profundis cordis latebris protractum: *& illuminabit abſcondita tenebrarum.* 1. Cor. c. 4. Viden turpitudinem, & malitiam peccati, hactenus in obſcuris ignorantiæ tenebris latentis detectam!

Ride jam, & in jocos converte delicta tua; tunc enimverò, quando ſæculum tuum poſitum fuerit in lumine divini vultûs, agnoſces tandem, quàm deformia, & abominanda hæc fuerint, pete à Deo radium de illo lumine, quod in illa die erit aptiſſimum inſtrumentum ad augendum pudorem peccatori, coram omnibus hominibus proſtituto, & confuſo; nunc autem ſtimulus eſſe poteſt ingens pœnitentiæ, à contrito & compuncto peccatore ſuſcipiendæ.

2. Greſcet erubeſcentia & confuſio, quæ aliàs jam ex deſperatis reproborum vultibus undique prorumpit, cùm audierint acerrimas objurgationes, ab exaſperato judice, qui ſuam beneficentiam ipſorum ingratitudini

oppo-

opponet, profectas: Ego, dicet voce internâ, omnibus perceptibili, & intelligibili, vos creavi ad similitudinem meam; & vos deformâstis, erasistis hanc animæ vestræ insculptam imaginem divinam: assumpsi naturam humanam, & in vicino colle post vitam laboribus, & doloribus plenam, per triginta tres annos actam, & exantlatam, hanc ut vos redimerem, pro litro obtuli; & vos sanguinem meum conculcâstis. Instruxi vobis basilicas epulas ex meis carnibus in Sacramento Eucharistiæ; & vos cucurristis ad cœas, & ollas Ægyptiacas. Obtuli vobis medium, ostendi vobis viam in Sacramento Pœnitentiæ facilem, mecum redeundi in gratiam, & redintegrandi pristinam amicitiam; invitavi, vocavi vos toties per inspirationes internas, nunc alliciendô vos promissionibus; aliàs terrendô vos minis; & vos surdis auribus elusistis voces meas. Exaltavi vos ad dignitatem sacerdotalem, ut mei essetis ministri; & hic ipse gradus tam sublimis vobis stimulo esset ad vitam emendandam, & statui vestro congruam ducendam; & tamen plurimos nunc invenio sæculares, vobis longè probiores: *Quid debui ultrà facere, & non feci?* Isa. c. 5.

Qualis confusio, ait S. Joan. Chrysost. quantus pudor in illo tempore non obruet Clericos, & sacerdotes, quando in opprobrium suum cernent quàm plurimos sæculares, qui longè ferventiùs, fideliùs & perfectiùs

Deo

Deo serviêrunt, quàm ipsi, *magna confusio sacerdotum, & omnium Clericorum, quando Laici invenientur fideliores, & justiores:* Hom. 3. Neque tunc pro scuto, ut modò solent, opponere poterunt propriam debilitatem; nam scutum hoc debile facilè pertundet objecta ipsis à Christo Martyrum invicta fortitudo, & constantia: non propriam fragilitatem, contra quam militabit inexpugnabile robur sacrarum virginum, longè debilioris sexûs, tenerioris, & minùs maturæ ætatis.

Quid tu ad has objectiones, & objurgationes respondere poteris, præsertim si tot aliæ accusationes accesserint hominum proborum, petentium vindictam tot damnorum sibi illatorum, scandalorum sibi datorum, tot obstaculorum in via salutis sibi à te positorum, dum potiùs obligatio tui officii & statûs te obstringebat omnes in via salutis obices removere, & hanc reddere facilem. Cor tuum penetrat objurgatio, vel admonitio facta soli, à solo intra privatos parietes, & flocci pendis, in aërem contemptim excutis, nec cogitas, quibus objurgationibus ab ipso Christo nisi maturè caveas, excipiendus his ante faciem totius mundi.

3. Sententia condemnatoria exprimetur paucis illis verbis, quæ tamen cœlum & terram tremefacient: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Matth. c. 25. Hanc jam conside-

sideràsti in præcedente meditatione; hanc tamen iterum recoque, rumina, & perpende, hanc sententiam fore justissimam, irrevocabilem, terribilem, contra quam nec excipere, nec ad aliud tribunal provocare, aut appellare fas sit, ab omnibus & singulis amplissimi illius consessûs membris communi approbatione stabilitam.

Erit justissima, nam judex nec ob sinistram aliquam animi propensionem, quæ ipsum præoccupet, nec ob ignorantiam, quæ ipsum excæcet, errare potest: *reddet unicuique secundum opera sua.* Apoc. 22. non erit obnoxia ulli appellationi; nam judex est supremus, nec ulli tribunali altiori subjectus; erit terribilis; non enim agitur de hæreditate aliqua misella perdenda, aut de exiguo cespite, & quatuor palmis terræ, aut de vita temporanea, ense carnificis, fune, vel etiam rotâ in ferali pegmate finiendâ: agitur de amittendo bono, vel incurrendo malo æternùm duraturo; & hæc sententia horrenda, & terribilis concorde totius universi approbatione, & applausu excipietur.

Virginea DEI Mater dicet: æquissimum est: ineptè sibi persuaserant isti, præsidentes certis aliquibus devotiunculis, simulatis potiùs, quàm veris, quibus me colere videbantur, se impunè scelera sua prosequi posse, sub mea quodammodo tutela, & patrocinio, pietatem meam maternam in omnium

nium impietatum fomentum & illicium convertentes; nunc proprio damno discant, & alios doceant, Mariam fuisse, & etiamnum esse refugium peccatorum illorum, qui cupiunt & quærunt se emendare, & convertere à viis suis pessimis; non autem illorum peccatorum præsumptuosorum: qui Paradisi gaudia, æternam salutem solâ meâ intercessione sibi comparare summâ temeritate conantur.

Huic Marianæ ratihabitioni sine hæsitatione subscribet etiam Angelus custos; attigisti tandem, dicet hic, anima reprobra, tremendum illum perditionis terminum, quem toties tibi minitatus sum: clausisti aures meis adhortationibus, & eas aperuisti solis diaboli malesuadis suggestionibus, tergum mihi impudenter obvertens: ito jam, ito, nam & ego te desero. *Curavimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam.* Jerem. c. 51.

Subinde totus ille, maximus mundi totius consessus electorum omnium *stabunt in magna constantia adversùs eos, qui se angustiaverunt.* Sap. c. 5. & altis vocibus comprobabunt momentosam hanc & decretoriam sententiam. Vos, inquient, derisistis & ludibriis excepistis nostra consilia, nostras exhortationes, nostras fraternas correctiones, nunc & nos deridemus præteritas vestras irrisiones, & sannas, ridemus inanes lachrymas, & planctus vestros: ite, ruite in infernum, quem

vos

vos vel non credidistis, vel modicè timuistis. Experiemini jam, an fuerit, & sit fabula anilis illud, quod credere noluistis; an sit malum leve & exiguum, quod non timuistis.

Ipsi adeò dæmones horrendis ululatibus justissimam proclamabunt hanc supremi judicis sententiam, ingenti superbia & ferociâ insultando condemnatis; & ipsi tandem rei hanc approbare cogentur à propria conscientia convicti, probè gnari suorum delictorum, & reatuum, nec contra hanc hiscere, aut minimam excusationem afferre audebunt, sed intra seipsos sibi occinent lamentabile illud carmen Sap. c. 5. *Nos insensati... quid nobis profuit superbia, & divitiarum jactantia, quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra, & nos in malignitate nostra consumpti sumus.*

Tu qui has veritates perpendis, tempus habes idoneum, tam magnum & præsentaneum periculum amoliendi, cui expositus es; nunc ratiocinia tua ini; conscribe, consolida; nunc redde rationem villicationis tuæ; nihil incertum reserva, & salutem tuam, quantum fieri potest, in tuto loca: hoc unicè agito, ut in illa die faventem & clementem obtinere possis sententiam.

Punctum tertium.

Perpende illa, quæ post latam sententiam, finitúmque supremum judicium sequentur, his verbis comprehensa: *& ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam*, Matth c. 25.

1. Cùm à sacra inquisitione, vel aliàs sacerdos aliquis ad mortem condemnatus est, post latam sententiam brachio sæculari sive potestati laicæ consignatur, ut ad rogum concremandus, vel ad aliud supplicium abripiatur; eodem modo impii post promulgatam sententiam consignabuntur dæmonibus, ut cum corpore & anima abripiantur in infernum semper & in æternum arsuri.

Interim tibi imaginare, te videre dæmones effræni ferociâ tanquam carnifices, & divinæ justitiæ ministros efferatos involare in miseros illos reos, eósque turmatim per varios terræ se sponte aperientis hiatus, & voragines in ignes infernales detrudere, quamvìs non opus sit, ut à dæmonibus portentur, aut magnâ vi impellantur; nam immani peccatorum suorum pondere tracti, sponte sua in inferni fundum ruent præcipites: *ibunt in supplicium æternum.*

Postquam damnati homines, dæmonésque simul permixtim in abyssum infernalem ruerint, denuo vastæ illæ voragines,

quas

quas terra velut tot ora, ac fauces aperuerat ad eos absorbendos, non solùm claudentur, sed insuper obsignabuntur sigillo, cui æternitatis symbolum insculptum est, immutabilis decreti divini: manebit itaque infelix illa reproborum fæx in carcere illo teterrimo inclusa, omni spe penitus interclusa, inde unquam exeundi, lucem, vel minimum solis radium videndi, inter perpetua tormenta, quæ nunquam cessabunt eos cruciare, & consumere, quamdiu DEUS erit DEUS. Hæc credere, & vitam ducere in peccatis, stultitia est, quâ major excogitari non potest, Expergiscitor ex illa maledicta, & temeraria animi securitate, quæ tibi omnem timorem eximit maximi illius periculi, quod tamen timuerunt, & horruerunt semper etiam Sanctorum maximi.

2. Eo ipso tempore Electi cum Rege gloriæ ascendent ad cœlum ibidem fruituri beatitudine æternâ: nec credas, eos commiseratione aliquâ tangendos erga illos, qui tanto numero in infernum præcipitabuntur; gaudebunt potiùs, & lætabuntur videntes, quòd æqua vindicta sumatur de tot probris, & injuriis Deo illatis. *Lætabitur justus, cùm viderit vindictam* Ps. 57. canéntque hymnos gloriæ pleno gutture Deo triumphum ducenti de profligato peccato.

Quando populus Israëliticus omni defunctus periculo, è littore vidit in mari rubro submersos persecutores Ægyptios,

Moyses cum suo populo decantavit DEI victorias, & iter iniit adversùs terram promissionis. Ita credito, chorum Beatorum omnium, è tuto cœlestis patriæ littore prospectantium in rubrum flammarum infernalium mare demersos Dei hostes, lætissimis vocibus divinas laudes, glorias, & triumphos cantaturum; dúmque sensim terræ promissionis, id est cœlo appropinquant, dicent ad invicem: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est ... Currum Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare ... Abyssi operuerunt eos; descenderunt in profundum quasi lapis.* Exod. c. 15. Quanta lætitia, quanta jubilatio tunc non erit Beatorum? econtra quis furor, quæ rabies, quæ invidia, & desperatio damnatorum, serò nimis ejulantium: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei... ergo erravimus.* Sap. c. 5.

Tu, si sapis, ùt tuus à te status exigit, tamdiu & in longinquum non differes tuos agnoscere, deflere, & emendare errores. Recurre ad tuum judicem, dum adhuc partes tuas agit, & sustinet personam non judicis, sed seduli advocati, & dic:

Non intres in judicium cum servo tuo Domine: quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio, non ergo me tua judicialis sententia premat, sed gratiâ tuâ mihi suc-

succurrente merear evadere judicium ultionis, qui dum vivo, insignitus sum signaculo sanctissimæ Trinitatis: qui vivis & regnas &c.

Dies quarta

Meditatio octava.

De inferno.

PRæmissæ orationi præparatoriæ subjunges hæc duo præludia.

1. Finge te videre vastissimum carcerem in centro terræ excavatum, mille circiter, vel ultra leucarum germanicarum cubicarum, sive quadratarum, & in hoc conclusum mare ingens flammarum, in quo demersi, piscium instar, natent, vel potiùs condensati hæreant reprobi: imaginare tibi corpora instar ferri candentis, ab igne, tanquam tot spongias, penetrata, ita ut ab ipso igne satis discerni non possint, prout in ferro candente ignis à ferro, & hoc ab illo distingui non potest.

In præludio secundo gratiam pete à Deo, ut ex illo igne infernali saltem scintilla aliqua prosiliat, quæ mentis tuæ oculos tam clarè illuminet, ut pœnas illas inferna-

les ritè cognoscas, & ex hac cognitione ortus salutaris, ac justus timor intima cordis viscera pervadat; idque efficiat, ut si DEI amor indomitas tuas cupiditates, & propensiones satis refrænare nequit, saltem metus iste te à peccatis retrahat. Propterea sæpiùs repete verba illa Psalmi 85. *Quia misericordia tua magna est super me, erue animam meam ex inferno inferiori*; vel utere illis S. Ecclesiæ suspiriis: *preces meæ non sunt dignæ, sed tu bonus fac benignè, ne perenni cremer igne.*

Hæ simul erunt preces jaculatoriæ hoc tempore pomeridiano.

Meditatio in hæc tria puncta dividetur, ut consideretur 1. Numerus 2. Pondus 3. Mensura pœnarum infernalium.

Punctum Primum.

Considera numerum pœnarum infernalium, quæ sunt sine numero; nam omnis damnatus subjectus est omnibus doloribus & pœnis excogitabilibus: *Omnis dolor irruet super eum* Job. c. 20. Inferni adæquatam definitionem nobis ex propria experientia reliquit dives Epulo Luc. c. 16. dum illum vocavit *locum tormentorum*: nam locus nullus est, in quo sedem suam fixerint omnia pœnarum, licèt ex natura sua sibi invicem summè repugnantium genera, quàm infernus. Considera igitur singulatim has pœnas,

nas, excutiendô quinos corporis ſenſus, & tres animæ potentias.

1. Affligent oculos ſqualor, & horror carceris, denſæ tenebræ, ſpiſſus fumus, qui ſine ſpiraculo ullo, ne quidem tenuiſſimâ rimulâ, per quam exſpiret, concluſus, acredine ſua oculos exedat, & in amariſſimas lacrymas diſſolvat: *& flebunt, cùm viderint fumum incendii.* Apoc. c. 18. Quantum tormentum non erit, videre tot horrida inſtrumenta ad torquendum facta, tot reos tormentis jam ſubjectos, tot diabolos, tortores indefeſſos, qui aſpectu terribili ſe damnati oculis objiciunt, ei inſultandô, minitandô, & ſanguinea verbera infligendô.

Datum eſt D. Franciſcæ Romanæ, & D. Catharinæ Senenſi videre dæmonem; & faſſa eſt illa, malle ſe in fornacem accenſam injici, quam denuo intueri dæmonem; hæc verò affirmavit, ſe malle per tramitem ardentibus carbonibus, & candentibus ferri laminis ſtratum usque ad extremi judicii diem nudis pedibus incedere, quàm denuo aſpicere monſtrum tam horrendum. Et quale ſpectaculum ſubin erit videre tot, & tot? habitare cum tot & tot monſtris? Exhortare oculos tuos, & pactum cum illis ini, ut ſe nulli objecto periculoſo aperiant, ſed arctè claudant, & ſic ſimul omnem occaſionem poſtea æternùm flendi excludant.

2. Torquebuntur aures, dum audire cogentur flagellorum ſibila, reſonantium ver-

berum strepitus, catenarum tractus, lamentationes, gemitus, ululatus, ejulatus, & stridores damnatorum, in clausa illa caverna tristi murmure resonantium. Lamentationes & queruli gemitus etiam unius tantùm ægroti, integrum xenodochium turbare, & inquietum reddere possunt: qua ratione igitur tolerari poterunt tot millionum hominum, & dæmonum desperatæ ejulationes? sed nihil horribilius erit, quàm audire blasphemias inauditas, diabolicas, quas ipsis extrema desperatio dictabit, contra cœlum, & cœli Dominum rabido gutture eructatas; maledictiones mutuas, quibus se mutuò lacerabunt ejusdem peccati complices. Confessarius maledicet, & exprobrabit confitenti, quòd sibi extorserit absolutiones in sacro tribunali, quas negare debebat: confitens maledicet, & exprobrabit confessario vicissim, quòd nimis facilis, indulgens, & timidus fuerit in administrando ritè suo judicis sacri officio. Parochi & Præsules maledicent suis subditis, quòd tam sceleratam, & scandalosam vitam duxerint; subditi vicissim maledicent suis superioribus, quòd ipsos, ùt obstringebantur, non correxerint, & ad meliorem vitam, ac viam non reduxerint: *erit populus quasi esca ignis: Vir fratri suo non parcet, unusquisque carnem brachii sui vorabit: Manasses Ephraim, & Ephraim Manassen.* Isa. c. 9. Exhortare aures tuas, ut se ipsas claudant, & obturent blandisonis

sub-

ſubdolarum Syrenum vocibus, ne tandem funeſtum chorum inſtituere, & tu illis, illæ verò tibi alternatim ſine fine maledicere debeant.

3. Odoratus torquebitur, dum naribus nihil attrahet, & rurſum efflabit, quàm flammas, ſulphur, & fumum, odorando fœtorem intolerabilem, omnium immunditierum & ſpurcitiarum totius mundi, quæ juxta doctrinam D. Thomæ in 4. Diſt. 47. quæſt. 3. art. 3. die finalis judicii omnes in infernum, tanquam in univerſalem totius mundi cloacam, & ſentinam confluent.

Locus ſive cubiculum ſemper clauſum, quantumcunque elegans, tandem incipit fœtere: Quantum ergo fœtorem exhalabit carcer infernalis æternùm clauſus, omnibus ſordibus repletus, omni ſpiraculo obſtructo ad emittendam peſtilentem mephitim! corpora damnatorum ab Iſaia c. 66. *Cadavera vivorum* appellata, horum putrefacta ulcera, pure & tabe manantia carcinomata, intolerabilem diffundent graveolentiam. Si D. Bonaventuræ credimus, vel unum ex his cadaveribus in terræ ſuperficiem protractum, ſufficeret ad inficiendum ſæviſſima peſte totum mundum.

Antiochus in pœnam à Deo plagis, ulceribus, tumoribus purulentis obſitus, tam peſtilentem, putridámque exhalabat auram, licèt ſub dio jacens, ut totum exercitum cruciaret, *ita ut odore illius & fœtore exercitus*

gravaretur. 2. Machab. c. 9. Quem ergo fœtorem effundent tot, & tot viva damnatorum cadavera in carcere subterraneo undique obturato, instar lignorum struis invicem constipata?

Si seriò cupis huic pœnæ te subtrahere, firmum concipe propositum eximio probitatis exemplo, ùt oportet, & virum Ecclesiasticum decet, omnibus prælucendi, & religiosæ vitæ suavem odorem ubique diffundendi, ut cum Apostolo dicere possis, *Christi bonus odor sumus*. 2. Cor. c. 2.

4. Cruciabitur gustus fame canina, & siti rabiosa: *exardescet contra eos sitis, & famem patientur ùt canes*. Job. c. 18. Ad extinguendam sitim, & famem tam acrem aliud non concedetur, quàm fel draconum, & spumæ aspidum. Ps. 58. Necessitate adacti proprias carnes devorabunt; *unusquisque carnem brachii sui vorabit*. Isa. 9. Et cùm sitis ardor fuerit vehementissimus, ipsis, ùt olim epuloni, etiam minima guttula aquæ negabitur. Si quando febris calidæ ardoribus exsiccati gutturis ariditatem expertus es, scies, quàm magnus hic sit cruciatus, qui vix per dimidiam horam patienter ferri potest; at hæc tenuissima umbra est sitis illius, quæ damnatos cruciabit æternùm.

Ut ergo tam sensibilem pœnam effugias, fuge symposia, compotationes, crapulas, ebrietates, gulæ cupedias, convivia, quæ non ratò instituuntur opipara, & ad omnem luxum,

xum, etiam ab Ecclesiasticis, & quidem ex redditibus Ecclesiasticis, hæc fuge, inquam, & cordi habeto abstinentiam, jejunia, & mensæ frugalitatem.

5. Cruciabitur tactus per omnia corporis membra diffusus: & quidem 1. propter angustiam situs. Nam damnati tam arctè inter se coacervabuntur, quàm lateres, qui in fornace accensâ exuruntur. 2. propter varietatem dolorum, in capite, in dentibus, in visceribus, in corde. 3. propter diversitatem instrumentorum, quæ adhibebuntur ad eos torquendos, uti sunt pectines, rotæ, flagella, enses, novaculæ, subulæ, equulei, forcipes.

Solum tormentum ignis est locô omnium tormentorum: quàm miserum & durum est, habitare æternùm in cubiculo vel potiùs fornace, cujus pavimentum est ignis, aër igneus, ardens; ubique flammæ & ignis, quocunque te vertas; ignis à dextris, ignis à sinistris, ignis à fronte, ignis à tergo, ignis supra te, ignis infra te, ignis extra te, ignis intra te: ignem & flammas exhalabis ex faucibus, ex auribus, ex oculis, ignis in stomacho, ignis in corde, in omnibus visceribus.

Ad hos ignis ardores ebulliet, quidquid humorum in corpore est; prout liquor omnis bullire in ardente lebete solet: bullit sanguis in venis, bullit cerebrum in cranio, bullit abdomen ac pinguedo in membranis, bul-

lient

lient viscera in ventre, bullit ipsa adeò medulla in ossibus.

Præterea id seriò perpendendum est, ignem infernalem, si non substantiâ, saltem efficaciâ plurimùm discrepare ab igne nostro sublunari & usuali, sequentibus ex causis.

Primò ob quantitatem; nam quò major, & conjunctior est ignis, eò fortiùs agit. 2. quia ignis infernalis substantia est instar alicujus spiritûs defæcata, & quodammodo eliquata, quinta & subtilissima essentia ignis, sic enim hunc ignem nominat Isaias c.4. *Spiritus ardoris*; vel prout alii legunt: *Spiritus incendii.* 3. attendere oportet ad finem; nam ignis noster creatus est ad nostrum usum, & commodum; ignis infernalis solummodò ad nocendum, & torquendum; unde nihil habet commune cum bonis qualitatibus nostri ignis, sed solùm cum illis qualitatibus & proprietatibus, quæ nocere, & torquere possunt. 4. ignis hujus ortus ac principium est, quòd sit merum instrumentum, quod non operatur ex se juxta suas vires, aut suam propensionem, sed juxta voluntatem, vires, ac obedientiam, domino suo, nempe Deo debitam, in cujus manibus est, & qui illo utitur tanquam causâ instrumentali ad sumendam ultionem, & vindictam de inimicis suis.

Et hac de causa ignis iste à S. Augustino vocatur *sapiens*, à S. Chrysostomo *rationabilis*; nam summâ prudentiâ, & æquitate, juxta

reatum

reatum peccatorum, ſuos mordaces ardores nunc auget, & acuit; nunc minuit, & mitigat; vel omnino extinguit; ita quidem, ut ſi omnino innocens, & omnis labis expers in flammas illas prolaberetur, nullo ab hoc cruciabundo igne afficeretur incommodo quemadmodum noſter ignis tribus pueris innocentibus nec minimùm nocuit, nec pilum aduſſit, ſed vindicem furorem ſuum omnem in iniquos injuſtæ ſententiæ executores effudit.

Tu interim exiguum facis diſcrimen inter peccatum, & peccatum utrùm ſemel, aut ſæpiùs id committas: ſed non procedit hoc ipſo modo vindex ille & rationabilis ignis; qui acerbiùs punit illos, qui ſæpiùs, & graviùs deliquerunt, quàm illos, qui pauciores & leviores commiſerunt errores. Jam ſenſus omnes in unum collige, téque ipſum ad ſeriam quæſtionem voca, ac perpende, an poſſis habitare *cum igne devorante, & cum arderibus ſempiternis.* Iſa. c. 33.

6. Affligetur intellectus miſerum in modum, dum ſe videbit remotiſſimum à Deo, unico fine & centro animæ rationabilis, extra quem nulla quies unquam ſperanda; videbit ſe excluſum à viſione beatifica, illáque felicitate æterna, propter quam creatus fuerat: rodetur à verme illo, qui nunquam moritur: ſemper verſabitur ob oculos jactura illa immenſa, quam paſſus eſt perdendô bonum immenſum, & incurrendô malum immenſum;

ſum; & hæc omnia accidiſſe propriâ culpâ: videbit tantam jacturam in æternum reparari non poſſe ampliùs, malum, quod incurrit pariter nunquam minuendum, multò minùs finiendum, ſed fore æternum.

Et hæc graviſſima cogitatio in damnati intellectu efficiet, ut totum infelicis æternitatis, etiam futuræ pondus ſimul & ſemel, in uno puncto cor ejus premat, & opprimat; nunquam tamen perimat.

7. Affligetur voluntas, dum ſemper volet id, quod nunquam erit; & nunquam volet id, quod ſemper erit: hinc prorumpet in actus iræ rabidos, triſtitiæ profundiſſimæ, tædii, deſperationis extremæ; atque ita damnatus ſibimet ipſi tortor implacabilis, exaſperabit pœnas jam aliunde acerbiſſimas, & intolerabiles.

Amor, affectus ex natura ſua dulcis, & cor ſuavi quadam delectatione demulcens, æternùm ex inferno proſcriptus eſt; unde miſerabili damnatorum turbæ ſola reſtat amarities odiorum: habebit odio DEUM, tanquam rigidum vindicem, & punitorem injuriarum ſibi illatarum; odio habebit dæmones, tanquam divinæ juſtitiæ miniſtros, & executores; odio habebit Electos, omnes cœli cives, tanquam latæ contra ſe ſeveriſſimæ ſententiæ approbatores: odio habebit ſocios, tanquam complices ſuorum peccatorum: odio habebit etiam ſemetipſum tanquam propriæ ruinæ & damnationis æternæ

fabrum,

fabrum, ac causam unicam: eò miseriæ redactus, ut non alium terminum suis maledictionibus & imprecationibus positurus sit, quàm repetendo id, quod satyricus Poëta suo juratissimo inimico, quem plus quàm vatinianô odio abominabatur, pro coronide sub finem apprecatus est: *nec ames quemquam, nec ameris ab ullo.* Non amabit ullum, nec amabitur ab ullo: odio habebit omnes, & odio habebitur ab omnibus.

8. Memoria interim ponet ante oculos animæ omnia bona, & delectamenta, quibus in mundo fruita est; anima verò hæc bona jam detractâ larvâ, prout in se ipsis revera sunt, considerans, serô, & inutili tacta dolore exclamabit: An ergo fieri potuit, ut re tam vili, nauci & nihili, momentaneâ delectatione, fluxâ voluptate, tenuissimo lucello mihi emerem pœnas æternas? *gustavi paululùm mellis, & ecce morior.* 1. Reg. c. 14. pro guttula mellis integrum mare amaritudinum; pro voluptatula volatili tormentum æternum.

In manibus habebam claves Paradysi; & hujus portas mihi pro libitu reserare poteram, sicut has pluribus reseravi potestate meâ Ecclesiasticâ, & officii mei ministeriis usus. Sed fortè immenso opus erat labore ad consequendam æternam salutem? non alio, quàm *seriò velle*: & ego ad obtinendum bonum, quod vix gustatum evanuit, præelegi æternam damnationem. O maledictæ vo-

lupta-

luptates! maledicta diteſcendi, & terrena bona corradendi cupido! maledicta ambitiò! maledicta dies, qua natus ſum! maledicti anni, quos vixi! maledicta ipſamet ſacramenta, quibus inutiliter & ſine fructu uſus ſum.

O ſi damnatus in ſuo arbitrio, in ſua poteſtate haberet illud tempus, quod tu tam negligenter, & inutiliter abſumis, & ille in propriam perniciem toties abſumpſit, quàm ſeriam putas pœnitentiam non eſſet acturus? ſtatue proin hanc jam nunc agere, Deóque maximas gratias age, quòd à cervice tua averterit tot, & tam acres pœnas, quibus jam nunc cruciatêris, niſi Deus tibi eam miſericordiam exhibuiſſet, quam non exhibuit mille aliis, licèt te multò minùs nocentibus. *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs in inferno habitâſſet anima mea.* Pſal. 93. Roga Deum ut gratiam tibi concedere dignetur usque ad vitæ finem ac mortem, & tu tandem ejus miſericordias in æternum cantare poſſis.

Punctum ſecundum.

Conſidera pondus ſive gravitatem pœnarum infernalium, quam facilè deſumere poteris, ſi perpenderis, has pœnas eſſe meras, ac purè pœnas. 2. Eas eſſe ſtabiles ac perpetuas. 3. Aſſiduas & continuas.

1. Pœnæ

1. Pœnæ infernales ſunt meræ, ac puræ pœnæ; ſunt purum pati, non habent admixtam ne ſtillulam quidem unicam alicujus ſolatii vel gaudii.

In hac vita cruces noſtræ ac pœnæ ſemper inunguntur oleo alicujus gaudii ac mitigantur aliquo ſolatiolo. Si ægrotes, erunt qui te inviſant, noti & amici; conſanguinei qui tibi condoleant; medici, qui ulterioris vitæ, & redituræ brevi ſanitatis propinquam ſpem faciant: ſi doleat caput, interim manus non dolet, integra & ſana ſunt membra reliqua: ſæpe unus dolor tollit, & elidit alterum; ſic dolorifera inciſio, vel aduſtio non rarò liberat à longè acerbiore, & periculoſiore malo calculi, carcinomatis.

Non hac via proceditur in inferno: in hoc nunquam, ne minimus quidem lucis radius recreat oculos; nullum unquam momentum quietis, nec minima, morula, interruptio aut ceſſatio à tormentis, ne quidem una unica cogitatio, quæ mentem ſublevet. Nullus erit, qui commiſeratione aliqua tangatur erga miſerrimos damnatos, nequidem ipſe Deus, quamvis in ſe miſericordiſſimus, & ipſa miſericordia, quin potiùs amariſſimo riſu ipſis inſultabit: *illos autem Dominus irridebit*. Sap. c. 4. Nulla pars corporis erit invenienda, quæ ſit ſana & integra: nulla pœna in inferno tollet, aut evacuabit alteram; nam pœnæ aliàs ſibi è diametro

oppositæ, in inferno amica jungent fœdera, omni deposita contrarietate, & inimicitiâ, prout in Vesuvio & Æthna inter se sociantur nives & flammæ.

2. Pœnæ inferni sunt stabiles, ac semper in eodem statu permanent, nunquam minuuntur aut mitigantur.

In hoc orbe tormenta & cruciatus non semper perseverant, aut furunt eâdem vehementiâ, ac intensione: febres etiam vehementissimæ habent suas declinationes; dolores etiam acerrimi non eodem semper impetu ægros assiliunt: si alia omnia deessent, hoc unum sufficeret, quòd morbi & doloris acerbitas ab ipsa assuetudine & habitu, qui acquiritur per ipsam talium dolorum generosam tolerantiam, plurimùm obtundatur, & imminuatur.

In inferno res non ita se habet; ubi de pœnarum aut dolorum lenimine & imminutione nil penitus scitur. Quàm exigua imminutio fuisset ardentissimæ sitis, qua torquebatur dives epulo in inferno, si Lazarus, ùt ille optabat, descendisset, & extremitate digiti in frigidam intinctâ, stillulam unicam exustæ linguæ insperfisset; & tamen neque hoc refrigerium, & lenimen, vel potiùs umbra leniminis indulta fuit ardentissimè roganti: nec tibi imagineris difficultatem sustinendi pœnas inferni ipso usu & longa assuetudine fieri leviorem; ita quidem hìc evenit, dum sumus in via; ubi nihil

stabi-

ſtabile, ſed omnia ſubjecta ſunt mutationibus perpetuis; ſed hæc in termino locum non habent: nam ſicut in cœlo perpetua aſſuetudo fruendi cœleſtibus gaudiis & deliciis nihil demit de horum melliflua dulcedine, ita pariter è contrario perpetua patiendi tormenta infernalia conſuetudo, nihil de horum acerbitate demit, nec harum tolerantiam faciliorem reddit.

3. Pœnæ inferni ſunt continuæ ſine omni interruptione.

In hoc orbe dolores habent ſua interſtitia, & pauſas, inquies ſuam quietem, ſuas ferias, diei nox, tribulationi proſperitas, proſperitati tribulatio ſuccedit.

Non ſic in inferno, ubi nunquam, ne quidem per unum momentum tormenta ſuſpenduntur, aut interrumpuntur: ibi nunquam reſpiratur: curſus harum pœnarum non imitatur curſum ſolis, qui modò oritur, paulò pòſt iterum occidit; ſed ſimilis eſt curſui illarum ſtellarum quæ polo arctico vicinæ in circulum gyrantur, & nunquam occidunt.

In hoc orbe ipſæ etiam deliciæ, ſi ſint aſſiduæ & continuæ, nauſeam pariunt: Muſica, quantumvis amœniſſima, & ſuaviſſima, ſi nimis diu duret, tœdium generat; elegantiſſima comœdia in longum protracta, integram noctem abſumens à ſtomachoſis ſpectatoribus deſeritur. Quamvis manna fuerit ſapidiſſimus, & omnem deſi-

derabilem ſaporem continens cibus, tamen tam longo tempore adhibitus, à nauſeabundis Iſraelitis rejectus eſt: Hinc collige quàm grave futurum ſit pati æternùm, & ſine omni intermiſſione, aut ceſſatione.

Et tamen quamvis pœnæ damnatorum ſint tot, & tam graves, damnati puniuntur citra condignum: dicendum igitur eſt, longè graviſſimam eſſe malitiam peccati mortalis, quæ tam atrociter puniri meretur. Si hoc non extremè abhorreas, & ex toto corde abomineris, vel ratione, vel fide cares, atque adeò vel ſtultus, vel infidelis es.

Punctum tertium.

Conſidera menſuram pœnarum, infernalium, nimirum, interminatam æternitatem, quæ licèt à noſtra nimis limitata mente comprehendi non poſſit, nihilominus deſumi poteſt ex variis comparationibus, & illis, quæ ſunt cauſa, & origo æternitatis.

1. Pœnæ ergo infernales ſunt æternæ, quia Deus, qui eſt harum principalis cauſa, eſt æternus, decretum immutabile, ſententia condemnationis ſemel lata, irrevocabilis: ſanguis Redemptoris noſtri in illam profundiſſimam abyſſum non penetrat pro litro ad liberandos miſeros illos captivos. Æterna pariter eſt cauſa inſtrumentalis pœnarum illarum, nempe dæmones tortores; æter-

æternus eſt ignis ille crucians, à Deo ſuccenſus, conſervatus, & flatu oris ejus animatus: æternus eſt vermis conſcientiæ, qui ſemper rodit, & nunquam moritur; æternus eſt carcer in centro terræ, quæ ſemper ſtat, & in æternum manet: æterna pariter eſt cauſa pœnarum illarum meritoria; nam peccatum in hac vita non deletum durat ſemper, nec unquam ampliùs deletur poſt mortem; æterna eſt cauſa finalis illarum pœnarum, quæ in eum finem infliguntur, ut eluceſcat æquiſſima Dei juſtitia ultrix injuriarum, ſibi illatarum, & punitoris ſuarum creaturarum rebellium. Æterna eſt cauſa materialis harum pœnarum; nam damnati pariter durabunt in æternum; & quidem non ſolùm animæ, ſed & corpora eorum; deſiderabunt ardentiſſimè mortem, ſed ne quidem ſolatium tam durum, & amarum obtinebunt: *quærent mortem, & non invenient.* Apoc. c. 7.

Quid agitis, ô flammæ voraces, dicent damnati; cur nos non tandem devoratis, & abſumitis? quid vos ô vermes ſemper vivi, cur nos ſemper roditis, & nunquam corroditis: nec in pulverem, ac in cinerem redigitis? Quid agitis ô rotæ, cur nos, cur omnia oſſa noſtra non tandem comminuitis, & in atram farinam commolitis? Hæc ſunt deſideria inutilia, & caſſa deſperatorum, quibus Deus *dabit ignes & vermes, ut ſentiant, in ſempiternum.* Judith. c. 16. ô ſi ſatis capere, & comprehendere poſſes, quid ſit ſemper ita

ardere, ut nunquam cesses ardere, ita semper pati, ut nunquam pati desinas; semper ita mori, ut nunquam cesses mori, ut nunquam extinguaris! adhibe omnem conatum, ut hoc discas, & capias ex sequentibus parabolis, & similitudinibus.

2. Imaginare tibi infernum instar vastæ voraginis, fundo carentis, in quam projiciantur montes integri, montes supra montes, quin tamen unquam repleatur. Imaginare tibi infernum instar rapidissimi fluminis, sive torrentis, qui semper se exonerat in mare, & nihilominus non decrescit, sed semper, non aliter quàm antea, tumidus incedit. Imaginare tibi hunc instar solis, qui semper est in motu, velocissimè currit in zodiaco, cursum sive annum, sive diurnum, ne quidem unico momento sistens; & tamen nunquam ad summum pertingit limitem sui cursûs. Paucis verbis David describit infernum Psal. 80. *Erit tempus eorum in sæcula.*

Sed quid, putas, indicare vult per hæc SÆCULA? forrassis quòd pœnæ inferni tamdiu sint duraturæ, donec totus oceanus guttatim effluat, & exhauriatur; sed tam lentè, ut inter fluxum primæ guttulæ, donec ad fluxum secundæ guttulæ perveniatur, & sic deinceps, elabantur mille sæcula? ampliùs. Fortassis insinuat, pœnas damnatorum tamdiu duraturas, donec exigua tinea omnes totius mundi sylvas decalvaverit, & devoraverit; sed tam lentè, ut inter unum

mor-

mortum, donec procedatur ad alterum, interponatur millio sæculorum intercalarium? Necdum satis. Fortassis innuere vult, pœnas, quibus damnati torquentur, tamdiu protrahendas, donec immensum illud spatium, quod à polo arctico usque ad polum antarcticum extenditur, minutissimis arenulis impleatur; tanta tamen tarditate ut tantùm post elapsos mille milliones sæculorum unam arenulam priori rursus adjicere liceret? amplius adhuc; amplius. Forsan nos admonere David voluit, pœnas illas tamdiu extendendas, donec universa mundi moles in montem, vel potiùs globum adamantinum conversa, in tenuissimos rursum pulvisculos abradatur, comminuatúrque, & quidem non aliter, quàm ut immensam hanc ex durissimo adamante conflatam molem formica unico pede leviter fricet; sed tam longa temporis intercapedine, ut solùm singulis millionibus millionum sæculorum formica redeat ad renovandum hunc affrictum. Sed apage! pueriles sunt hæ similitudines.

Ineptissimum est quærere, quamdiu duraturæ sint pœnæ, quæ finem non habent. Imò dicendum, & concludendum est; exhausto lentè ac guttatim totô oceanô; devoratis lentissimo, & tamdiu interpolato morsu sylvis omnibus; impletô lentissimè arenulis post arenulas toto universo; comminutâ in tenuissimos pulvisculos tardissimè iteratis affrictibus adamantinâ orbis mole,

ſupererit adhuc tam diuturnum patiendi tempus, tantum æternitatis, cui per infinita etiam demptiones nihil demitur, quantum erat ab initio, ac ſi nec una quidem die effluxiſſet.

Elapſa jam ſunt ſeptendecim ſæcula, quæ Judas in igne infernali tranſegit; Cainus, primus ex humano genere infelix inferni incola, jam quinquaginta in carcere illo ſæcula ſuperavit: non tamen hinc minus reſtat poſthac patiendum Caino, quàm Judæ: utrique reſtat integra æternitas pœnarum; caſu etſi diſpare, non tamen multùm abſimili, quo crux Chriſti, ut S. Paulinus ſcribit, ſemper remanebat integra; nam licèt peregrini ad ſacra loca viſenda Hieroſolymam excurrentes, non exigua fruſtilla ex illa decerperent, & ſecum piô furtô in patriam aſportarent, ſubinde tamen Hieroſolymam reduces, ſemper invenêre crucem, non ſine prodigio redintegratam & integram. Deme, avelle tantum, quantum placet, de æternitate, ſæcula & ſæcula, quot fulgent in cœlo ſtellæ, quot ſunt arenæ maris, quot herbæ in pratis, folia in arboribus, æternitas, non minuitur, nihil deperdit, manet eadem, manet integra, manet æternitas.

Ad effugienda mala tam horrenda, tam enormia, non patet alia via homini, qui vel ſemel peccavit, & Deum graviter offendit, quàm via ſeriæ pœnitentiæ: ſtatue hanc licèt arduam, & aſperam ingredi, nec ab

hac

hac unquam deflecte aut retrocede, sed potiùs generoso & contrito animo ad Deum clama cum Augustino pariter pœnitente: *Hic ure, hic seca; hic mihi non parcas, modò in æternum parcas:*

Tu Domine, per sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per sanctam crucem, & mortem tuam libera me de pœnis inferni, & perducere digneris, quò perduxisti latronem tecum crucifixum: qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas &c.

Dies quinta

Meditatio Nona.

De peccato veniali.

Cùm viri Ecclesiastici, & Religiosi juxta finem suæ vocationis, & conditionis debeant esse norma sui gregis, & speculum sæcularium, cordi habere debent, ut, quantùm divinâ gratiâ adjuvante possunt, vitam ducant innocentem, & omnis maculæ, ac culpæ etiam levioris expertem, eô ipsô, quòd dignitas statûs Ecclesiastici omne peccatum, licèt de se veniale, ac leve, gravius reddat, & sæcularium peccata plurimùm superet, juxta doctrinam Concilii Tridentini

Seſſ. 22. c. 1. *De reform. Clerici levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant.* Hac de cauſa proponuntur hac die meditationes binæ de peccato veniali, ut Clericus ingentem horrorem, & odium contra illud concipiat, tanquam ſummè contrarium ſuo ſtatui ac profeſſioni, quæ ipſum adſtringit ad ducendam vitam ab omni nævo immunem, & illibatam, ùt declarat *Caſſiodorus L. 8. Epiſt. 24. Profeſſio Clericorum vita cœleſtis.*

Perſoluta oratione præparatoria meditationi præmitte ſequentia duo præludia.

1. Objice menti tuæ per imaginationem animam tuam inſtar ægroti debilem, viribus exhauſtam, enervem, omni vigore deſtitutam, æſtu febrili, & hecticis ſymptomatibus tot peccatorum venialium, à te deliberatè, & conſideratè commiſſorum fractam, & exſuccam, quæ omnia licèt vitam animæ, nempe gratiam ſanctificantem non auferant, tamen ad eam amittendam, & mortem per peccatum mortale incurrendam diſponunt.

2. Ad Deum, tanquam tuum medicum confugito, & cùm contra morbum tuum remedium præſtantiſſimum ſit futurum cognitio morbi, & cauſæ morbi, pete lumen à Deo ad obtinendam hanc cognitionem, ut hæc tam periculoſa infirmitas non ſit ad mortem. In hunc finem clama ad ipſum cum Propheta Pſal. 12. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* vel Pſ. 6. *miſerere*

mei

mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me domine. Hæ ipsæ erunt preces jaculatoriæ hoc tempore matutino.

Meditatio dividitur in tria puncta. 1. Malitia. 2. Effectus. 3. Pœnæ peccati venialis.

Punctum primum.

Considera peccatum veniale in se ipso, & ejus naturam, & deprehendes, ejus malitiam non esse tam levem, ùt fert communis opinio; quacunque tandem ex parte illud contempleris, sive ùt oppositum Deo, sive ùt contrarium proximo, sive ùt noxium animæ tuæ.

1. Peccatum veniale non est malum, ùt tu tibi forsitan imaginaris, nullius, vel exigui momenti: ne te decipiat communis ejusdem nomenclatura: est malum grave, magni ponderis, & momenti; leve dici nunquam potest, nisi quando in comparationem venit cum peccato mortali; sicut plumbum dici potest leve, auro comparatum: & sicut parvus dici potest collis monti collatus; & sicut terraqueus globus totus parvum punctum dici potest, cœlis & universo compositus ac oppositus. Perpende itaque, & pondera unicum peccatum veniale, prout in se ipso est, nullo habito respectu ad aliquid extra peccatum venia-

veniale, & inveniesillam gravitatem, quæ non elucebat ex illa comparatione.

Sufficiat hoc dixisse, & deprehendisse, quòd peccatum veniale Deo summopere displiceat, molestiam, aversionem pariat; quòd si non sit verus aliquis contemptus divinæ Majestatis, est tamen vera oppositio divinæ voluntati facta; & si etiam permitteretur, Deum non propriè per hoc offendi aut contemni, quamvis oculatior theologia, & strictior ascesis doceat, omne peccatum veniale esse veram aliquam DEI offensam, verum aliquem Dei contemptum; tamen certum, & extra dubium est, quòd per hoc homo inducatur ad Deum longè infra condignum, & infra infinitam ejus dignitatem ac meritum, æstimandum. Est igitur hoc peccatum grande malum, & quidem Deum concernens, malum superioris & divini ordinis, oppositum divino beneplacito, perfectæ hujus, & aliorum divinorum desideriorum adimpletioni: hinc non potest vocari absolutè malum leve. Pluris æstimandum est, Dei voluntatem æquissimam perfectè, & ad unguem impleri, quàm felicitatem creaturarum omnium conservari, & augeri; atque adeò majoris considerationis, & momenti erit, Deo vel in re minima displicere, quàm infelicitas aut destructio omnium creaturarum.

Si posses procurare totius mundi salutem unius peccati venialis impendio; si posses

omni-

omnibus damnatis evacuare infernum vel unicam mentis evagationem, dum preces Canonicas recitas, voluntariè ac deliberatè admittendo, ne talem quidem levissimum, ùt tu censes, defectum admittere liceret: minus malum est, permittere, ut tot creaturæ æternùm pereant, & æternùm infernalibus concrementur incendiis, quàm Deum vel levissimè offendere, ac lædere: & tu adhuc credes, ac dices, leve malum esse illud, quod suâ gravitate præponderat cuicunque pœnæ acerbissimæ, ac gravissimæ, etiam æternùm duraturæ?

Utique pro tam levi malo peccatum veniale non habuit Sapientia incarnata, quæ optimè impensum credidit immensum thesaurum sui pretiosissimi sanguinis, dum illum divinæ justitiæ obtulit ad expungenda omnia debita, ab hominibus, non solùm per peccata mortalia, sed etiam per venialia contracta: etiam peccata venialia fuerunt Christo mortifera.

Admirare cæcitatem & errorem tuum, quòd hactenus peccatum veniale pro re nihili, & potiùs pro peccati umbra, quàm pro peccato habueris; pro re levissima malum tam grave ac tanti ponderis; obstupesce propriam temeritatem, qua toties tam invisum spectaculum divinis oculis objecisti; agnosce & fatere te filium ingratum, vix filii nomine dignum, qui solùm illas offensas vitare studet, ob quas è domo paterna

ejici,

ejici, & hæreditate privari possit; interim minoribus offensis minimè abstinet, licèt patri magnopere displiceant, sed has quotidie audacter iterat, solùm ut indomitis suis cupiditatibus obsecundet. Propone, quòd imposterum esse velis filius Dei genuinus, moriger, reverens, & patris amantissimus; & veniam pete tot hactenus commissorum defectuum, tot offensarum, & ingratitudinum.

2. Vir Ecclesiasticus fervens, & zelosus plurimùm confert ad accendendum, & promovendum studium virtutis, & Christianæ pietatis in sæcularibus, præsertim suæ curæ commissis: *nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui se divino ministerio dedicârunt, cùm enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tanquam speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex eisque sumunt, quod imitentur.* Concil. Trid. Sess. 22. c. 1. *de Reform.* è diverso, si tu immemor tui statûs, & professionis, vitam ducis liberam, dissolutam; tuo genio litas; cupiditatibus tuis fræna laxas; in obsequio divino, tuisque functionibus Ecclesiasticus languidus, tepidus, ac frigidus es, impeditur & deperditur omnis fructus, qui hauriri & colligi poterat ex aliis, & præsertim ex ejusmodi non pastoris, sed mercenarii oviculis, cum ingenti divinæ gloriæ detrimento. *Nullum ab aliis majus præjudicium, quàm à sacerdotibus tole-*

tolerat Deus, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. S. Gregorius homil. 17. in Evang.

Si tu otiô torpeas, acediâ & desidiâ elumbis, cupiditatibus terrenis fascinatus, qualem vigorem & robur spiritus à te, qui caput es, haurire poterunt reliqua membra, tibi subjecti populi? correctiones, à te adhibitæ, erunt inutiles, verba cassa, & inefficacia, erisque similis matri illi somnolentæ, de qua libro 3. Reg. c. 3. narratur, quòd filium suum lac sugentem, ipsamet somno oppressa, oppresserit. & suffocaverit: tales matres sunt Clerici illi, si non scandalosam, saltem tepidam & somnolentam vitam ducentes, *qui per somnum torporis occidunt, & negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur.* Gregorius Moral. L. 21. c. 7.

Cùm igitur à Deo ad statum Ecclesiasticum vocatus, & destinatus sis, ut non solùm tuæ, sed etiam proximorum salutis curam habeas, prout tibi in secunda meditatione exhibitum fuit, seriò decerne, teporem & torporem illum excutere, qui te reddit instrumentum ineptum ad procurandam salutem animarum, nec tibi unquam persuadeas, te idoneum futurum ad promovendum aliorum in virtute profectum, quando proprium tam supinè negligis, & ultimô locô ponis.

3. Peccata tua venialia, quamvis animam non spolient pulchritudine, & luce illa cœlesti,

lesti, quam illi affundunt splendidissimi gratiæ sanctificantis radii, nihilominus probabiliùs sunt offensa quædam DEI; vel saltem repugnant rationi, ac voluntati divinæ, atque adeò continent veram aliquam malitiam moralem; sunt macula; sunt deformitas; sunt perturbatio, ac deordinatio animæ, cui eripiunt vividum illum, & ad obsequium DEI semper promptum spiritum, specialem illam amœnitatem, quæ ipsam gratam redderet divinis oculis, totiúsque curiæ cœlestis.

Pone tibi ab oculos reginam aliquam, quæ in publicum prodeat, facie conspersâ fœtente fimo, & undique tetrâ fuligine denigrata: talem se oculis divinis præsentat anima, peccatis venialibus maculata; omnem splendorem ex gratia divina habituali promicantem obfuscantibus. Si erubescerès facie in hunc modum fœdata & conspurcata comparere in platea, in foro publico, cur non erubescis accedere ad altare, immaculatam hostiam DEO oblaturus, adstante tota curia cœlesti, etiamsi probè scias, animam tuam innumeris peccatorum maculis & sordibus deformatam, & abominabilem redditam esse? In lege Mosaica Deus Levitarum vel sacerdotum nullum ad altare admittebat, qui vel minimâ maculâ in facie, vel reliquo corpore erat infectus; *homo de semine Aaron, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo; nec accedet ad ministerium ejus, si*

lippus,

lippus, si albumen habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore. Levit. c. 21.

Accipe hæc in sensu morali, & desume, quâ integritate morum, vitæ puritate, perfectionis, & innocentiæ candore illum nitére, & aliis prælucere oporteat, qui in ministrum Altaris, in custodem animarum electus, in lucidum speculum, exemplum & exemplar populo propositus est; nimirum ut ne minimâ aut levissimâ quidem maculâ infectam, nec fuligine quidem alicujus peccati venialis, plenâ advertentiâ ac deliberatione admissi illibatam, & sine labe puram conservet mentem.

Punctum secundum.

Considera peccatum veniale in suis effectibus, quorum aliquos nunc producit in hac vita, alios minatur in futurum & producit in altera vita.

1. à peccato veniali tanquam verô animi morbô eadem incommoda, & mala timenda sunt in anima, quæ in corpore timentur à morbis corporis. Infirmitas corporalis privat imprimis oculos vivaci & acutâ videndi acie, vultum sano colore, totum corpus suâ agilitate, suo vigore: ita peccatum veniale, licèt non omnino excæcet, obfuscat tamen, & hebetat mentis aciem; extinguit, deprimit animæ promptitudinem,

& alacritatem; tollit, abolet florem illum illimis pulchritudinis internæ, qui illam reddebat modô quodam ſpeciali DEO gratam, & ejus cordi amabilem.

Morbus viribus exhaurit corpus, illúdque reddit pigrum, languidum, torpidum, ita ut miſer ægrotus ne unicum quidem greſſum ſine magna difficultate moliri poſſit. Ita peccatum veniale, præſertim iteratum, debilitat animam, exſugit omnem ſuccum habitibus virtutum acquiſitarum, ineptos ipſos relinquens, & exſangues ad operandum: hinc oritur torpedo, & laſſitudo illa ad currendam viam mandatorum, & perfectionis, & vehemens illa propenſio ad otium.

Morbus extincto omni appetitu inducit nauſeam, & extremam ſtomachi averſionem erga genus ciborum corporalium, & hinc omne nutrimentum ſtomacho reluctanti ingeſtum amittit omnem ſaporem, nec cor hominis corroborat, aut confortat; ſic peccatum veniale tollit famem virtutis, appetitum & orexin bonorum operum, ingentem ac pertinacem relinquit nauſeam rerum divinarum, averſionem à ſpiritualibus exercitiis, ſtudium orationis inſipidum, exſuccum, & inſtar paleæ aridum, unde ex hoc aliàs optimo & fortiſſimo animæ cibo, ex devotionibus conſuetis, ac quotidianis, ex Sacramentorum etiam frequentiori uſu, præſertim Euchariſtiæ, tam parum fructûs

&

& roboris hauritur; cùm tamen ex his certò nasceretur intima quædam animæ nostræ cum DEO conjunctio, & unio; nisi hanc impedirent, & abrumperent, quæ toties interponimus, peccata venialia.

Febri laborans, & qui morbi molestias sentit, nihil ardentiùs optat, quàm sanari, & febris ardoribus liberari; ut hoc obtineat, non horret deglutire amarissimas pilulas, bolos, aliásque medicinas; absorbere potiones renitente palato & stomacho; secari venam, spargere sanguinem, ferro & igni se subjicere. Si tu ritè perpenderis & cognoveris mala illa ac damna, quæ ex peccato veniali tanquam ex fonte profluunt, nequaquam tibi durum videbitur corruptæ naturæ inclinationibus, & sinistris impulsibus, quibus tam frequenter in peccata venialia, saluti animæ tuæ tam noxia præcipitaris, repugnare, & impigrè resistere.

2. Maximum malum, quod morbus corporis in se continet, est hoc, quòd sit dispositio ad mortem, & hujus prodromus: hoc ipsum est, quod malitiam, seu malignitatem peccati venialis, veri animæ morbi auget, nempe quòd ad mortem animæ, id est, ad peccatum mortale disponat, ac promoveat: disponit autem ad hanc mortem spiritualem variis modis ac viis, quas S. Thomas 1. 2. q. 89. art. 2. indicat.

Inprimis, ait, peccatum veniale disponit ad mortale, indirectè *per modum removentis*

prohibens, extirpato omni metu salutari, excusso hoc fræno, prostrata hac sepe pronum est ruere in omnis generis peccata, etiam gravia: sunt autem respectu hominis repagula & fræna adversùs peccata gravia, horúmque impetum, non solùm timor DEI, & pœnarum peccatis gravibus infligi solitarum, sed etiam habitus virtutum, nostra subjectio erga divinam voluntatem, pudor & erubescentia innata cujuscunque peccati. Sed omnia ista repagula, & remedia contra peccatum mortale tolluntur per peccatum veniale, per hoc enim exuuntur boni habitus, probæ assuetudines; ipsam virtutem si non evellit penitus, saltem minuit, ejúsque vires elidit; nihil autem magìs frangit, & sensim tollit virtutis habitum, per frequens exercitium & usum acquisitum quàm non usus.

Peccatum veniale abrumpit debitam illam subordinationem, & subjectionem nostræ voluntatis erga divinam; & dum nos assuefacit divinæ voluntati in rebus parvis repugnare, trahit nos, ut exuto priore salubri horrore, eidem recalcitremus etiam in rebus majoris momenti, eodem fermè modo, quo filius, à juventute sua assuetus in rebus parvi momenti immorigerum, & inobedientem se patri suo exhibere, cùm adolevit, omnem etiam in rebus summi momenti exuit reverentiam, & obedientiam.

Iterans

Iterans peccata venialia, & ea velut aquam ingurgitans, sensim deperdit, & extinguit timorem peccatorum, & pœnarum, peccatis à tergo imminentium; cùm enim liberè peccet, & nullam subsequi pœnam sentiat, illud sibimet occinit: peccavi, & quid mihi accidit triste? atque hinc animos sumit ad audenda etiam majora, & pejora.

Denique frequens illa, ac quotidiana venialium effrons perpetratio omnem sensim eliminat peccandi ruborem, & pudorem, quem ab initio sentiebamus; nec est probrum ullum tam grande & enorme, quod non committere audeat homo, qui frontem perfricuit, & omnem pudorem exuit.

Dæmoni decrescit animus ad hominem tentandum & impugnandum graviùs, & audaciùs, quando advertit, & experitur, quàm generosè repugnet etiam in minimis, quàm vehementer abhorreat etiam à peccatis levibus. Non utique vaferrimus hostis probæ & exemplaris vitæ Ecclesiasticum mox ab initio, in ipso limine invitabit ad nefanda quæque, etiam clam tantùm, vel palàm cum publico aliorum scandalo: optimè novit astutissimus veterator, se statim cum dedecore repellendum; satis habet, si ab initio vel minimum angulum in tuo obtineat corde, etiam minimum quid, modò sit aliquid; aspectum verbi gratia vel obtutum nonnihil liberiorem, conversationem aliquantulum teneriorem, & solitò magis fa-

miliarem, affectum erga temporalia, horúmque abundantiam non ſatis moderatum.

Sed cave, ne dæmoni vel anguſtiſſimum angulum, qui vel unguem ſit latus, in tuo corde unquam concedas: *Nolite locum dare diabolo*, ad Epheſ. c. 4. nam ſi ſemel expugnaverit, & occupaverit valla, & externa animæ tuæ propugnacula, id eſt, horrorem, & odium peccati levis; aſſiliet, & arietabit ipſos muros, id eſt, odium & horrorem peccati mortalis, & ſubjugabit totum munimentum cum arce animæ tuæ: *luxit antemurale & murus pariter diſſipatus eſt.* Thren. c. 2.

Tandem omnium validiſſimum ſcutum, quo te contra peccatum mortale defendas, ſubminiſtrat Deus, unàcum potenti gratiarum ſuarum præſidio, & copioſo ſubſidio: verùm hæ meritò illis à Deo negantur, qui omni neglectâ curâ & cautelâ, paſſim in peccata venialia proruunt: hanc quippe pœnam merentur tot inurbanitates, ingratitudines, & petulantiæ cujusdam animæ, quæ illos ſolùm errores fugere ſtudet, qui Patrem cœleſtem graviter exaſperant, & cœlo excludunt, non autem eos, qui anſam dant divinæ juſtitiæ ſubtrahendi illis rorem & florem talium gratiarum, & ſingularem protectionem; vel certè valdè parcâ manu illas impoſterum impertiendi: & quid his mediis deſtitutæ reſtat animæ, quàm ut in pericula

ricula ſemper majora incidat, in gravia delicta decidat, & tandem æternùm pereat? *qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Eccli. c. 19.

His adde peccatum veniale disponere ad mortale non tantùm indirectè, ſed etiam directè, per modum appendicis ac conſequentiæ, nempe in quantum anima aſſueta toties peccare venialiter ſine omni remorſu, conſuetudinem & habitum contrahit transgrediendi limites, ſibi à Deo præſcriptos, omnem culpæ metum exuendi, propriæ concupiſcentiæ, quæ nunquam dicit *ſufficit*, omnia indulgendi, conſcientiam laxandi, & bipatentibus valvis dilatandi; & quia deliciæ ſolitæ, & quotidie repetitæ, tandem nauſeam creant, & vehementem orexin ad novas excitant, à minoribus voluptatibus tranſit jam ineſcatus animus ad voluptates majores: legitima itaque eſt illatio à peccatis levibus ad peccata graviora & lethalia; hinc Chriſtus ait Luc. c. 16. *qui fidelis eſt in minimo & in majori fidelis eſt; & qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt.*

Et hoc longè faciliùs tunc accidit, quando peccatum veniale unum, idémque objectum reſpicit, circa unam eandémque materiam verſatur; quo in caſu peccata venialia toties iterata, in unum cumulum quodammodo concreſcunt, & pondere ſuo animam depreſſam, tandem in abyſſum peccati mortalis demergunt: ita Judæ accidit, qui primò

leve quid de communibus eleemosynis decerptum suis consanguineis donans, uti cum pluribus docet Hugo à S. Victore, tandem eò prolapsus est, ut suum divinum Magistrum perfidè proderet, & triginta siclis argenteis venderet. Poterísne adhuc culpas illas vocare leves, quæ perducunt ad exitum tam funestum & horrendum?

Punctum tertium.

Considera & agnosce peccati venialis naturam ex pœnis, quibus in hac, & in altera vita castigatur & expiatur.

1. Nullas invenire est pœnas in hoc orbe, sive queis corpus affligi potest, quales pœnæ sunt morbi, dolores, paupertas, persecutio, fames, sitis, mors; sive queis torquetur anima, quales sunt tentationes, scrupuli, inquietudo mentis, desolationes, ariditates, obtenebrationes &c. quibus non justè possit puniri quævis etiam minima culpa venialis.

Moyses & Aaron ambo sacerdotes summi, tam Deo dilecti, à possessione & ingressu terræ promissionis exclusi fuerunt ob exiguam diffidentiam, quam admiserunt in deserto, dum virgâ iteratò duram rupem percutiunt ad eliciendos ex illa limpidos aquarum rivos, quibus Israëliticus populus ardentem pelleret sitim, prout judicat S.

Gre-

Gregotius Papa ad Leandrum Episcopum Hispalensem scribens.

Nadab & Abiud sacerdotes recèns inaugurati, & prima vice peragendis juxta suum officium functionibus sacris admoti, negligunt, fortassis ob ignorantiam, certè per incuriam, cæremoniam aliquam à lege præscriptam; mox ambo morte subitaneâ puniti, ante aram divinæ justitiæ concidunt victimæ: hunc ipsum rigorem expertus est Oza, dum minùs reverenter, quàm decebat, titubantem à casu sustinere conatur arcam.

Igitur toties meritus es morte puniri, quoties in tuis sacris & sacerdotalibus functionibus irreverenter processisti, & contra præscriptas cæremoniarum regulas sive rubricas, vel minimum errorem admisisti. Si Deus te tam severè non punit, nec te toties in his errantem punivit, ejus bonitati & clementiæ adscribendum, cui debitas gratias referre teneris, quòd mortem omnium acerbissimam, & mille tormentis inferendam commerito pepercerit.

2. In orbe altero punit Deus peccata venialia igne purgatorio; qui juxta doctrinam SS. PP. & Theologorum tam atrox & acutus est, ut longè superet omnes dolores, quibus homo in hac vita torqueri & cruciari potest. Si cerneres regis filium à patre tenerrimè amatum, ab ipso patre condemnatum, in rogo vivum comburi, annon tibi,

& quidem meritò, firmiter persuaderes, grande delictum oportere subesse, quod clementissimum & æquissimum patrem contra tenerrimè adamatum principem filium ita exasperaverit? Fides nos docet, in fornace illa purgatoria ardere longissimo quandoque tempore inter omnis generis dolores acerrimos (mensuram utriusque, tam temporis, quàm dolorum, pro meritis definiente divina Nemesi) tot filios Dei dilectissimos, adoptivos, & ad fruendum gloriâ suâ æternâ destinatos; & sæpius ob unicum tantùm peccatum veniale, vel ob partem aliquam pœnarum, pro peccato veniali quoad culpam jam remisso persolvendarum, adhuc residuam, & tamen adhuc tibi persuadere perges, peccatum leve esse pariter malum leve, & pensi non habendum?

Proferrésne tu mendacium aliquod, si tibi constaret certo te ad expiandum hoc delictum in ferventis olei lebetem esse demergendum? quæ jam dementia, proferre mendacium, cùm certò scias, nisi hanc culpam deleas, dum vivis, post mortem tibi eluendam per flammas! & fortè non solummodò per flammas purgatorii temporarias, sed etiam per flammas inferni æternas; quod tunc evenit, quando post mortem peccator peccatis mortalibus, propter quæ inferno addicitur adjuncta habet etiam peccata venialia, nec quoad reatum culpæ, nec quoad reatum pœnæ remissa; nam sicut pœna

pecca-

peccato gravi respondens, in inferno est æterna, ita pœna respondens tali peccato veniali, in inferno pariter erit æterna, cùm in inferno nulla, nulla sit redemptio nec à culpa, nec à pœna.

Hæc est tam divi Thomæ Aquinatis, quàm divi Bonaventuræ, aliorúmque Theologorum solida doctrina; & tu vilipendes, & contemnes culpam, quæ tam atrociter punitur? disce æquiori lance imposterum malitiam peccati venialis ponderare; age pœnitentiam in hac etiamnum vita; itidem & frequentissimè veniam à Deo pete sequenti oratione.

Omnipotens æterne Deus, mihi famulo tuo pro tua pietate relaxa peccata vel minima, ut non ampliùs mihi noceat conscientiæ reatus ad pœnam quàm indulgentia tuæ propitiationis profit ad veniam. Per Dominum nostrum &c.

Dies quinta

Meditatio decima.

De pœnis purgatorii.

Persoluta oratione præparationi consueta, præmittes Meditationi duo sequentia præludia.

Pri-

Primum esto, uti tibi proponas animam, Christi sponsam, quæ diu & ardentissimè ipsum desideravit in hac vita; tandem diruptis vinculis corporis, libero volatu, rectâ in amplexus desideratissimos sui Sponsi divini ruere parat, æternis agni nuptiis in cœlo fruitura; ab hoc tamen contemptim rejicitur, & cum indignatione ad igneum purgatorii balneum ablegatur, non antè in suo comparitura conspectu, quàm ab omni, etiam minimo nævô mundata, emaculata, & tota pulchra sit.

Secundum esto: pete à Deo gratiam clarè cognoscendi acerbitatem pœnarum purgatorii, & differentiam inter modum, quo anima à suis peccatorum maculis purgatur per pœnitentiam in hac vita, & inter modum, quo maculæ illæ delentur in altera vita per ignem: unde statues, potiùs primum modum, magis facilem, & insuper meritorium, quàm secundum magis difficilem, & omnis meriti expertem eligere. Roga itaque Deum, ut tibi assistat, & opem conferat ritè utendi primô peccatorum pœnas delendi modô; unde sæpius cum Davide clamabis ad Deum: *amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: aspergas me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.* Ps. 50. vel cum Isaia: *excoque ad purum scoriam meam, & aufer omne stannum meum* c. 1. Hæc ipsa verba adhibe pro precibus jaculatoriis.

Medi-

Meditatio dividatur in hæc tria puncta 1. Pœnæ purgatorii incurruntur facilè 2. sufferuntur difficulter 3. illis, qui harum solutionem post mortem differunt, detrimentosæ sunt.

Punctum primum.

Considera, quàm facile ac pronum sit, ut personæ, etiam Ecclesiasticæ laudabilem, & religiosam vitam ducentes, se reas faciant pœnarum purgatorii; quod colligitur ex auctoritate scriptorum, & ipsa ratione.

1. Quàm facilè incurrantur pœnæ purgatorii, desumitur ex vitis Sanctorum; in his leges, quòd Sanctorum plurimi in mortis articulo contremuerint. Surius narrat, divam Catharinam celeberrimam Ægypti Martyrem, dum caput persecutoris gladio subjecit, timuisse vicinam divini judicis sententiam, quamvìs paulò antè à virginea Christi Matre visitata, & divino ejus Filio Christo desponsata fuisset. Sic timuit morti propinquus Hilarion, quamvìs in eremo inter summas austeritates septuaginta annis Deo fidelissimè serviisset: & ut hoc ipsum in viro Ecclesiastico, tanquam in speculo conspicias, tibi D. Cyprianum Martyrem Carthaginensem Episcopum, genuinam veri Ecclesiastici idæam ob oculos pono; qui post distributas in pauperum turbam facultates omnes,

vitam

vitam & sanguinem pro Christo jamjam profusurus, districtum Dei judicium timere non desiit. Cardinalis Bellarminus non minùs ob vastam suam scientiam, quàm ob eximiam integritatem morum toti orbi notissimus, ad extrema deductus, illis, qui lectulum moribundi cingentes, spem faciebant, rectè & sine mora, in purgantibus flammis trahendâ, ad cœlum evolandi, disertè reposuit: *Ego verò hanc spem non habeo.*

Hanc ipsam spem se non habere demonstrârunt apertè S. Ephrem, S. Monica, S. Carolus Borromæus, S. Ludovicus Rex Galliæ, quando procurârunt, testamentis caverunt, ut tot post mortem pro se, suáque anima persolverentur preces, missæ, sacrificia, suffragia, & pia litra: sed quod plus est, complures ex Sanctis, quos aris impositos debito cultu veneramur, non solùm de copiosis post mortem pro anima suffragiis prospexerunt, verùm ipsas etiam flammas purgatorias senserunt. Sic narrat S. Gregorius Episcopus Turonensis, S. Vitalianam virginem comparuisse S. Martino, & suam, in purgatorio carcere detentionem significâsse, hujúsque precibus ex eo liberatam fuisse. S. Petrus Damianus in epistola ad Desiderium Abbatem Cassinensem narrat, S. Severinum Archiepiscopum Coloniensem sanctitate & miraculis clarum, post mortem visum fuisse in stagnum aquâ fervente plenum collo tenus demersum, *non*

alia

alia de causa, nisi quòd Canonicarum horarum pensum aulæ curis distractus, indevotè decurrerit. Non ignoro hanc narrationem, in dubium trahi à Baronio in suis Notis ad Martyrologium Romanum 23. Octobris; verum hæc, & prior narratio vindicatur, & approbatur à Bellarmino *de purgatorio* L. 1. cap. 11.

Si Ecclesiasticus tantæ virtutis, & sanctitatis, quantæ erat S. Severinus, non effugit ob admissas, in persolvendo precum Canonicarum penso, mentis tot curis ac negotiis aulicis distractæ, & occupatæ evagationes, poterísne tibi persuadere, te ab his pœnis eximendum, qui omnibus ejusmodi curis, & gravissimis negotiis liber, tam tepidè, tam indevotè, mente aliò assiduè aberrante, Canonicarum precum diurno penso satisfacis? proinde si tam facilè, tam pronum est, purgatorii pœnas mereri, & incurrere, quid tecum statues, quid decernes? utique hoc unum, & quidem seriò, quòd omnem conatum, & diligentiam imposterum adhibiturus sis, ut has non solùm minuas, sed etiam extinguas, in hac etiamnum vita, per opera pœnalia ultrò suscepta, per solidam rigidámque pœnitentiam, per diligentissimam fugam peccatorum venialium, præsertim deliberatè commissorum, quippe radicem & unicam originem harum pœnarum.

2. Ipsa ratio humana, auctoritate S. Scripturæ nixa demonstrat, quàm facilè nos possimus pœnarum istarum reos facere.

Cer-

Certum & extra dubium omne positum est, omnem ingressum in cœlum illi à Deo præcludi, qui non ab omni omnino, quamvis minimo nævo, ac reatu sive culpæ, sive pœnæ liber, ac mundatus est. In cœlestem illam Jerusalem *non intrabit aliquod coinquinatum*. Apocal. c. 21. Deus puritatis in sua præsentia clarè revelatâ, in illo regno gloriæ, ante purissimos oculos suos tolerare nihil potest, nisi quod sit purum, vel ab omni macula purificatum. Ex altera verò parte, quis non scit, quis non experitur, quàm fragilis, variabilis & ambulatoria sit nostra voluntas, & corrupta natura, & quàm frequenter quotidie prolabatur in defectum aliquem saltem levem: *septies in die cadit justus*. Prov. c. 21. communis doctrina Theologorum est, hominem, nisi speciali Dei gratia roboretur, non posse longo durare tempore, quin subinde cespitet, & veniale aliquod peccatum committat; hoc privilegium, specialem hanc gratiam B. virgini concessam novimus ex Concilio Tridentino Sess. 6. Canone 23, sed alii etiam cuiquam Sanctorum ejusmodi privilegium concessum fuisse, certò non constat.

Hinc inferes ac concludes, illos solummodò justos purgatorii pœnas effugere, qui pœnitentiæ opera ultrò in se suscipiunt, multiplicant, & sine interruptione continuant, dum vivunt; & quidem eum in finem, ut hic etiamnum debita, quæ cum divina justi-

tia

tia contraxerunt multa & magna, expungant omnia, usque ad ultimum quadrantem. Et hi quàm rari, quàm pauci sunt! tu viribus omnibus allabora, ut horum numerum augeas. Noli manus dare, noli cedere amori proprio; qui se ipsum non oderit, nunquam Christi discipulus erit. Itaque Deo sociare; unius cum Deo mentis esto, ut in hac adhuc vita de omnibus Deo illatis injuriis & offensis quibuscunque, debitam vindictam sumere decernas.

Reatus adhuc residuus, si non culpæ, saltem pœnæ, expiatur & eraditur asperitate operum pœnalium, & mortificationum sponte susceptarum, aut adversitatum æquanimiter toleratarum. *Peccati sanies non solùm abstergenda, sed abradenda est asperitate doloris. Petrus Blesensis serm. de transfig.*

Punctum secundum.

Perpende, quanta sit difficultas in tolerandis purgatorii acerbissimis pœnis; quod colligi potest ex triplici capite 1. ex harum numero. 2. ex harum natura, sive qualitate. 3. ex harum duratione, sive diuturnitate.

1. Imprimis reperitur in purgatorio utrumque illud pœnarum genus, quod reperitur in inferno, nempe pœna sensûs, & pœna damni. De pœna sensûs docet equidem S.

Thomas, eam nullatenus differre ab ea, qua puniuntur damnati. Nititur hæc Angelici doctrina auctoritate celebris illius effati ab Augustino prolati: *eodem igne torquetur damnatus, & purgatur Electus. in 4. Dist. 21. q. 1. art. 1.*

Tuum non est examinare modum, quo materialis, & sensibilis iste ignis torquere possit animam spiritualem. Certum, & juxta unanimem tam Patrum, quàm Theologorum doctrinam indubitatum est, purgatorium ignem esse verum, & materialem ignem, non minùs, quàm ignis infernalis, qui cruciat ipsos dæmones, utique puros omnisque corporis expertes spiritus: imò hac ipsa de causa, quia animæ purgatricibus addictæ flammis, nulli corporeæ moli sunt alligatæ, ignis ultor, à Divina justitia applicatus, eò acriùs & sensibiliùs eas urit, & mordet, tum quia hæc applicatio, & admotio tormenti ad reum torquendum, est intima, & intrinseca; qualis nunquam est applicatio ignis sive flammarum ad corpus alicujus rei, à legibus ad vivicomburium condemnati; nam hunc flammæ nunquam penetrare, sed solùm in exteriore superficie carnis arrodere possunt; tum quia anima, cùm non constet diversis partibus, ùt corpus, sed sit indivisibilis, torqueri non potest tantùm una sui parte, quin simul torqueatur tota, in corpore tamen plerumque unum duntaxat cruciatur membrum, dum interim cætera

manent

manent illæsa; tum quia anima longè nobilior corpore, sicut longè majoris & purioris gaudii, & delectationis capax est, ita vicissim dolores, qui illam premunt, longè delicatioris, & acerbioris sensûs sunt; ferè sicut nobilis delicatæ complexionis, & tenerè educatus homo longè graviùs sentit, & difficiliùs tolerat cœli intemperiem, & temporum injurias, rigores, vel calores, quàm rusticus crudè educatus, & à primis unguiculis aëris cruditati, & inclementiæ, laboribus, & sudoribus assuefactus.

Quod attinet ad pœnam damni, certum est, animas illas acerrimo affligi dolore, dum vident, se suâ culpâ arceri à possessione, & fruitione summi boni: ardentissimis sanè desideriis suspirant, & anhelant ad Deum videndum, & flagrantibus trium affectuum alis summo impetu evolare conantur in amplexum Dei.

Primus horum affectuum est, inclinatio ac propensio ab ipsa natura cuivis insita erga ultimum sibíque præfixum finem, ad quem feruntur, séque impelli sentiunt vi quadam occultâ, & illi non absimili, quâ omnia gravia deorsum, & ad suum centrum tendunt.

Secundus est spes supernaturalis, quæ passis brachiis Deum suum attrahere, stringere, sibíque intimè unire, tanquam unicum suum, & summum bonum, ac vicissim se ipsi

nunquam dissolvendis vinculis omnimodè conjungere posse anhelant.

Tertius est charitas Theologica, qua suspirant, posse se ipsas totas, quidquid sunt, & habent, Deo immergere, ab hoc perfectè possideri, & quodammodo absorberi.

His tribus gravissimis ponderibus ad Deum tractæ, & impulsæ, cùm vident se violenter retineri, & repelli, non alio obstante obice, quàm quem sibimet ipsis per sua peccata posuerunt, non minorem sentiunt pœnam, ac dolorem, quàm sentiret, si saperet, & sentire posset rapidissimus fluvius, vel potiùs torrens, videns vias sibi omnes insuperabilibus obstructas repagulis, se in mare, suum centrum, & sui rapidissimi cursûs unicum scopum ac finem, effundendi.

Nec tibi persuadeas, quòd summa harum captivarum cum divina voluntate conformitas, pœnis omnem acerbitatem abstergat, cùm hanc potiùs augeat; desiderant enim ipsæmet esse ita constitutæ, prout eas constitutas esse vellet Deus; hinc agnoscentes, se necdum tam puras, & ab omni nævo defœcatas esse, quales purissimus DEI oculus eas desiderat, mirè affliguntur, & ex hoc ipso fonte promanat in ipsas major animi amarities, & dolor mordacior, non aliter, quàm affligitur intimè, qui tenerrimè amans probè novit, illas sibi deesse dotes,

quas

quas necessariò inesse oportet amanti, ut ab amato redametur.

Huic pœnæ adjungi poterit & illa, quæ oritur ex clarissima cognitione jacturæ, per totam æternitatem irreparabilis, tot graduum gloriæ per suam incuriam, desidiam, aliásque culpas, licèt leviores factæ. Hæc jactura magìs affligit has animas, quàm ipsa dilatio æternæ felicitatis; nam hæc tandem finitur ac tollitur; illa verò nunquam ampliùs resarciri potest.

Si te hæc duplicis generis damna non moveant, nec terreant, in causa est partim crassâ bonorum æternorum ignorantiâ obtenebratus intellectus tuus; partim voluntas tua, non nisi bona sensibilia æstimare, horúmque amoribus se penitus immergere solita; partim status tui, in quo nunc vivis, conditio, hic enim quamdiu durat, in hoc mundo te reddit inhabilem ad obtinendam & possidendam beatitatem, illis solùm, qui hoc mundo decesserunt, debitam: sed animæ illæ, positis jam corporis exuviis, clara cognitione intuentes bona, illa æterna sibi debita, ardent ingenti desiderio illa quantociùs possidendi: sunt etiam aptæ & dispositæ ad adeundam horum possessionem: sed retrahunt illas catenæ igneæ, quibus vinciuntur, & hinc idem ferè sentiunt tormentum, quod sentirent illi, qui rabida fame corrosi, & arida siti exhausti, mensam opiparis cibis instratam, nectare, promulside,

omnisque generis generosissimis, & delicatissimis vinis onustam, cernere quidem, nec bolum tamen minimum, nec unicam guttulam ex appositis delibare possent.

2. Ut gravitatem harum pœnarum pleniùs agnoscas, & capias, compara illas imprimis cum pœnis hujus vitæ; deinde cum pœnis inferni. Si comparentur pœnis ac tormentis hujus vitæ, concors est sanctorum Patrum opinio, pœnas purgatorii atrocitate superare tormenta, supplicia, cruciatus, & quidquid tolerârunt vel innocentes Martyres à sævissimis tyrannis, vel sontes enormium criminum rei à rigidissimis Judicibus justè plexi; & quidquid tandem tormentorum in hac vita excogitari, inferri, & tolerari potest.

De hoc Augustinus in Psal. 37. *Gravior est ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.* Gregorius in Psal. 3. pœnitentialem. *Illum ignem omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem.* Hoc ipsum affirmat, & confirmat S. Anselmus *in Ep. 1. Cor. 3.* S. Bernardus Serm. *de obitu Humberti*, adstipulantur SS. Canones *cap. qui in aliud*: dist. 25. Adjungit D. Thomas, minimam ac infimam pœnam purgatorii, acerbitate superare quamcumque maximam, & atrocissimam pœnam hujus vitæ: ita loquitur. *in 4. dist. 21. q. 1. art. 2. Minima purgatorii pœna excedit maximam hujus vitæ.*

Coar-

Coacerva igitur in animo tuo mala omnia, quibus ſubjacere poteſt miſerrima ſors hominum, & ſubin tibimet ipſi dicito, his omnibus longè majora eſſe mala, etiam levia, quæ ſufferenda ſunt in carcere illo luſtrico & purgatorio.

Si levis febricula, dolor capitis, pectoris oppreſſio ita nos premat, ut tot gemitus nobis exprimat, quos putas triſtiſſimos gemitus non extorquebunt ſua tormenta afflictiſſimis illis animabus?

Non rarò fit, ut in hac vita miſeri ſuis miſeriis ipſimet lenimen aliquod afferre poſſint; hoc locum non habet in purgatorio, ubi afflicta anima ſuis doloribus ne hilum quidem detrahere poteſt, quantumcunque gemat, oret, & ejulet; ſi aliunde nihil opis, ſuffragii aut ſtipis accipiat, integram ſymbolam ut exſolvat, & debitum contractum, ipſa ſola expungat, neceſſe eſt: *non exiet inde donec reddat noviſſimum quadrantem.* Matth. c. 5.

Si pœnas purgatorii conferre placeat cum pœnis inferni, fieri poteſt, ut aliquando pœna ſensûs in purgatorio ſit vehementior, quàm pœna ſensûs quâ caſtigatur damnatus in inferno; fieri enim poteſt, ut peccator poſt primum, vel ſecundum grave peccatum præcipitetur in infernum; alius verò poſt centum vel mille peccata gravia, quoad reatum culpæ per pœnitentiam veram deleta, remanente adhuc toto reatu pœnæ tempora-

lis, addicatur purgatorio; an non prioni illi levior longè pœna sensûs infligetur, quàm posteriori? Hæc sanè doctrina est Abulensis, *Paradoxorum* 5. c. 46.

Si consideremus pœnam damni solùm, qualis est in seipsa, abstrahendô ab ejus duratione, videtur hæc major & gravior esse in purgatorio, quàm in ipso inferno: nec difficile est hujus rei sufficientes causas adducere: Pœna damni in inferno damnatum privat fruitione Dei, quem ut suum juratum inimicum fatali persequitur odiô; in purgatorio privat animam amantem Deô amicissimô, & per ardentissimum affectum, ab ea amatô.

Damnatus, si vel invitus desiderat DEO frui, id desiderat unicè ex naturali amoris proprii, & concupiscentiæ impulsu; cùm interim anima purgans Deum non solùm desideret ex amore concupiscentiæ honesto ac supernaturali, sed etiam ex amore amicitiæ purissimo, & divino, tanquam bonum infinitum, & immensum in semetipso; & ita consideratus Deus, est infinities amabilior, & omni amore dignior, quàm si consideretur ùt jucundus, utilis ac bonus ipsis beatis, qui illum aspiciunt, & possident.

3. Duratio pœnarum in hoc purgatorio carcere non est eadem respectu omnium, sed varia pro varietate delictorum. Ex variis revelationibus constat, defunctorum aliquos huic pœnali carceri adjudicatos esse ad

annos,

annos, annorum decades, & centurias, quin imò usque ad diem extremi judicii, uti docet Cardinalis Bellarminus *L. 2. de Purgat. c. 9.* quam sententiam amplecti videtur ipsamet Ecclesia catholica, dum admittit, & acceptat fundationes stabiles pro sacrificiis piacularibus annuatim, vel etiam singulis mensibus, aut hebdomadis in perpetuum offerendis, ut per hæc pia subsidia, suffragia ac lytra, animæ ejusmodi fundatorum, pœnarum vinculis expeditæ, tandem liberæ in cœlestem patriam evolent.

In hac vita nunquam junguntur in unum, ut dolor sit intensus, & simul extensus, sive ut diu duret, & acerrimè urat, teste Pelusiota: *fieri non potest, ut concurrant utraque, violentia suppliciorum, & duratio.* Nam dolor nimis intensus se ipsum extinguit, dum subjectum, cui inhæret, evertit & perimit: sed in purgatorio vehementia cruciatuum nullatenus excludit, aut tollit è medio horum diuturnitatem.

Exhorresceres, si audires per integrum mensem te calidissimæ febris æstibus exurendum; & quid hoc si comparatur pœnis purgatorii, per annos & lustra sæpe productis?

Ex his veritatibus hactenus ponderatis oportet trinos hos haurire fructus. Primus sit, ut statuas, debita contracta expungere etiamnum in hac vita, & horum solutionem nequaquam differre in purgatorium. Secun-

dus, ut caveas indies nova ligna parare, & adjicere flammis illis lustricis per consuetos, & quotidianos tuos defectus. Tertius, ut studeas, quantum potes, succurrere, & opem ferre piis illis animabus per sacra præsertim sacrificia, aliáque complura media, ac suffragia opportuna; nam si tu adhuc vivus obliviscaris mortuorum, DEUS permittet justâ talionis pœnâ, ut tui pariter post mortem obliviscantur vivi.

Punctum tertium.

Considera, duas duntaxat patére vias, quæ ad cœlum ducant; viam innocentiæ & viam pœnitentiæ. Si vel semel grave peccatum admisisti, prima via tibi occlusa est, & secunda solùm tibi jam patet: hæc igitur tibi ineunda hoc modo, ut residuam adhuc pœnam de peccatis, vel per perfectum contriti animi dolorem, vel per pœnitentiæ Sacramentum ritè deletis, in hac adhuc vita per aspera pœnitentiæ opera, aut per purgatorii flammas in alterâ expies.

Perpende, quantum præstet priorem potiùs, quàm posteriorem divinæ justitiæ satisfaciendi modum eligere, & quidem triplici ex causa; nimirum quia hic est magìs honestus, magìs utilis, & minùs difficilis, & asper modus.

1. Est

1. Est magìs honestus ac decens cùm utique decentius sit contracta debita expungere ultroneâ maturatâ solutione, quàm tardâ & coactâ, postquàm ùt morosus debitor à judice compulsus fuisti. Tu fers ægerrimè, si creditor te ad tribunal curet citari, ut debitum præstes, antequam à te illud petiêrit, & exegerit: & quare? quia turpe, & ingenuo homine indignum putas, debita non solvere, nisi coactè.

Qua fronte coram tribunali divino adhuc debitis oneratus comparebis? te excusare, & causari non poteris nimis teneram, & delicatam indolem, ac corporis tui complexionem; si enim non horres mille sufferre incommoda, ut tuis effrænibus satisfacias cupiditatibus, cur hæc, imò multò minora non sufferas, ut satisfacias tuis debitis?

2. Pœnitentia nunc suscepta, auget nobis paradysi gloriam, qua post vitam fruemur, magnis & quotidianis incrementis, simúlque efficit, ut remotis jam in vita obstaculis expunctísque integrè, vel saltem majori ex parte debitis, post mortem sine longiore mora, in purgatorio aliàs trahendâ, citò illam auspicemur, atque ita diutiùs illa perfruamur, quod utique magìs utile & lucrosum est: Dum interim debitrix in purgatorio anima non tam satisfacit, quàm satis patitur, & quidem sine omni augmento meriti, atque adeò etiam gloriæ, quantumvis ita pateretur per mille & plures annos;

nos; cùm è diverso homo in hac vita quovis etiam minimo pœnitentiæ opere, vel minimæ afflictionis, aut æquanimi adversitatis tolerantiâ semper novum gradum priori adjiciat merito gratiæ & gloriæ futuræ, quæ pari semper passu cum gratia crescit & ambulat.

3. Pœnitentia hujus vitæ non uno ex capite pariter est minùs ardua & minùs aspera, imprimis quidem, quia ordinariè non est coacta, sed ultronea, quamvis etiam mala & calamitates hujus mundi, quas evitare aut excutere non possumus, fortiter toleratæ, purgatorium aliquod esse possint, & quidem meritorium.

Deinde pœnitentia, & expiatio hæc non est ita continua, ut non interpositis quandoque licitis animi vel etiam corporis oblectationibus interpolari possit, præterea hæc non est tam acris, & penetrans, ut illa, cùm minùs asperum sit, animæ maculas eluere ad fontem ferventium pœnitentiæ lachrymarum, quàm in igneo purgatorii stagno: *satius est fonte purgari, quàm igne.* Guerricus. Serm. 4. Tandem, quia hæc longè brevior est, nam parum, & modicum pœnitentiæ in hac vita plus valet, quàm multum purgatorii in altera vita. Ludolphus *de vita Christi P. 1. c. 20.* censet unius diei pœnitentiam æquare pœnas in purgatorio per unius anni spatium sustinendas, pro fundamento adducit illud *Ezechielis c. 4. diem pro anno dedi tibi.* Id cer-

certum, quòd divinam Nemesin faciliùs placare soleat pœna sponte assumpta, quàm inflicta; sic enim docet S. Bonaventura *in 4. Dist. 2.*

Adjungamus etiam illud, quòd pœnitentia, sive purgatorium hujus vitæ non ratò plus delectet, quàm cruciet, cùm sæpiùs supernis deliciis ac solatiis condiatur, & suaviter irrigetur: *uterque ignis purgatorius; sed iste purificat ungendo, ille urendo*, ait iterum Guerricus: in consideratione vocari etiam poterit, quòd his pœnitentiæ operibus comites adjungantur variæ indulgentiæ, sæpius etiam plenariæ, quibus in solutionem oblatis, plurima & ingentia debita simul & semel deleantur. Amplectere igitur & sequere consilium tibi suggestum *Eccli. c. 7. de negligentia tua purga te cum paucis*, & propone indulgentias sacras semper sociare pœnitentiæ operibus. Itaque ad Christum confugito, tuum tam à culpa, quàm à pœna Redemptorem, eúmque adora, & ita ora:

Domine JESU Christe Rex gloriæ, libera animam meam de pœnis inferni, & de profundo lacu: libera eam de ore leonis, ne absorbeat eam tartarus, ne cadat in obscurum. Qui vivis & regnas &c.

Dies

Dies sexta

Meditatio undecima.

De parabola filii prodigi.

TImor Divinæ justitiæ ex præcedentibus meditationibus haustus, mitigandus est spe divinæ misericordiæ, ex præsente parabola elucentis; nam timor sine spe fit desperatio, spes sine timore fit præsumptio: ad hunc finem obtinendum quadrat quam optimè parabola de filio prodigo, quam apud S. Lucam sæpiùs legeris, & ad refricandam memoriam denuo relegere poteris.

Peractâ igitur oratione præparatoriâ præmittes meditationi duo sequentia præludia.

1. Imaginare tibi juvenem macilentum, pallidum, exhaustum, seminudum, omni ære emunctum, dirâ fame vix non enectum, post longam absentiam denuò ad lares paternos redeuntem. Imaginare tibi patrem benignissimum, quamvis gravissimè offensum, in ejus occursum properare, eum amplecti brachiis, stringere, paterno dignari osculo, novis ac pretiosis vestibus induere, & in domum paternam introducto lautissimam instruere cœnam.

2. Pete

2. Pete gratiam à Domino, ut intimè agnoscas summam miseriam illorum, qui per peccata se à Patre cœlesti elongant, simul etiam eorum felicitatem, qui agnito suo errore, & pœnitentiâ ducti, ad paternum misericordiæ sinum convolant, & erroris sui veniam supplices rogant: utere proin verbis illis Psalmi 102. *Quomodo miseretur Pater Filiorum, miserere Domine timentibus te*: aut illis Isaiæ c. 63. *ubi est multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum? tu enim pater noster.* Vel illa Davidis Psal. 84. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Et hæc ipsa hoc manè adhibe pro precibus jaculatoriis.

Meditatio in hæc tria puncta dividetur, ut consideretur 1. dementia 2. miseria 3. felicitas filii prodigi.

Punctum primum.

Considera filii prodigi dementiam, quæ elucet ex abitu è domo paterna, & abitûs hujus fine.

1. Demonstravit satis stultitiam suam hic adolescens, dum portionem substantiæ, vel potiùs hæreditatis suæ, suo tempore sperandæ petiit, & obtinuit à patre, eáque in sarcinam compactâ, longè ab eo secessit in exteras regiones. Quàm inepta & stulta fuit ejus petitio: *Pater, da mihi portionem substantiæ,*

ſtantiæ, quæ me contingit. An non ſciebat, quòd vivente patre nihil juris haberet, nihil ipſi deberetur de bonis paternis? Major adhuc fuit ſtultitia, quòd è domo paterna, paternísque oculis ſe proripuerit, cùm tamen in illa ab omnibus coleretur, amaretur, lautè aleretur, de quadrâ paterna viveret, rebus neceſſariis omnibus liberaliter inſtructus, famulorum ſua obſequia offerentium, & ejus imperia præſtolantium coronâ ſtipatus, pro hærede futuro agnitus, & vix non pro domino omnium, quæ pater poſſidebat, jam adoratus.

Facilè eſt conjicere, quàm profundum vulnus paterno cordi inflixerit hic crudus, & impudens agendi modus filii ingratiſſimi, qui poſtquàm perfrictâ fronte, nullô titulô ſibi debitam notabilem paternæ ſubſtantiæ portionem quaſi jure exigere auſus eſt, inſalutato, non hoſpite, ſed patre optimo, eíque tergum obvertens erupit, & evaſit, ipſo hoc facto quaſi teſtaturus, ſe in domo paterna peſſimè habitum, quærere ſe jam extra hanc, meliorem fortunam, & quietem: in immenſum excreviſſet hæc ejus ſtultitia, ſi filius iſte degener, fuiſſet inter reliquos fratres ſuos patris ocellus, & præ aliis omnibus tenerè dilectus; ſimul etiam patris hinc hauſta afflictio.

An non hæc ipſiſſima vitæ tuæ hactenus actæ imago eſt, vivis coloribus expreſſa? An non tu filius Dei adoptivus, fonte ſacri baptiſ-

baptismatis ablutus, & renatus, in domo DEI natus, & in sinu sanctæ Matris Ecclesiæ, Christi sponsæ, lactatus uberibus divinæ providentiæ, ad mensam Eucharisticam toties basilicè pastus, tot fratribus tuis prælatus & specialibus favoribus ante alios affectus, dum ad Ecclesiasticum statum evectus, inter familiares admissus, divinorum mysteriorum administer constitutus fuisti: tu, inquam, es ille vir, qui à Patre tuo cœlesti petere ausus es portionem tuam, nimirum libertatem tuam, quæ magìs ad Deum, quàm ad te ipsum spectabat, sicuti magìs ad Deum spectabant, quàm ad te omnes potentiæ animæ tuæ, omnes corporis sensus, ingenium, doctrina, eloquentia, dignitates, & sublimes honorum gradus, facultates temporales, ac divitiæ, quibus abundabas, & quasi Deus tibi injuriam inferret, dum te lege justissimâ obligat, ut omnibus his bonis & donis utaris, solùm ad illum finem, ad quem consequendum tibi hæc omnia impertivit; quibus tu tamen imprudente arrogantiâ volebas pro tuo lubitu, & arbitrio uti, & abuti, & tergum Deo obvertens, cum his aufugisti tam longè ab ipso, quàm longè ipse, nempe Deus, distat ab omnis generis iniquitate.

Agnosce igitur tuam stultitiam, illâ non inferiorem, quam admisit filius prodigus, & erubesce, quòd tam perfidè egeris cum

amantissimo patre, eique tam fœdam ignominiam ingesseris.

2. Finis, qui filium prodigum impulit ad petendam portionem, & domum paternam deserendam, non erat alius quàm ut censorio patris oculo, patriæque potestati subtractus, suis appetitibus frœna laxare, nullisque coërceri legibus, aut circumscribi limitibus posset, omnia pro cœca libidine gerendô, & dissipandô, quod & fecit, *vivendo luxuriosè* donec ne quidem obolus unus in exhausti marsupii fundo hæreret residuus.

An hac major stultitia excogitari potest? Jam adolescentiori nimis durum videbatur, adhuc sub patrio hærere imperio & potestate; nimis dulce è contrario ipsi videbatur, suô vivere geniô, legibus omnibus conculcatis, pervagari exteras regiones, deflorare viridantia deliciarum prata omnia, laxatis habenis se pleno impetu effundere in lusus, in crapulas, epulas, in Veneris & ventris sordidas voluptates. Hæc erant heroica facinora, quæ meditabatur, & moliebatur magnus hic, & imperterritus heros, quibus ipse, & tota ipsius prosapia inclarescceret.

Si hæc seriâ tecum mente revolveris, deprehendes, in hoc ectypo stultitias, & ignorantias tuas juveniles ad vivum expressas. Etiam tibi displicuit legibus paternis, licèt saluberrimis, subesse: etiam tu obtinuisti portionem, quâ pro libitu utereris, vitámque

duce-

duceres liberrimam; etiam tu tibi stultè persuasisti, ingens te facturum lucrum, Deum amittendô; etiam tu abliguriisti & dissipâsti patrimonium, quod tibi liberaliter datum est nempe bonis corporis, animæ & fortunæ; forsitan & tu eo, quo filius prodigus modo dissipasti ludendô, comessandô, lasciviendô, & luxuriandô: & hæc sunt illa ipsa scelera, à quibus D. Paulus præcipuè homines Ecclesiasticos longissimè abesse voluit: *oportet Diaconos esse pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes.* 1. Tim. c. 3.

Quantum augere non poteras gloriam patris cœlestis, bene ac prudenter impendendo portionem substantiæ tibi ab ipso concessam? quantis incrementis hanc non augent hoc ipso tempore alii ejusdem tecum conditionis, ætatis capacitatis, & habilitatis, tibi in eâdem, qua vivis patria notissimi. Suffunditor pudore his te comparans, & erubesce, quòd dignitatem statûs tui tam fœdis facinoribus dehonestaveris, & conspurcaveris; ultro fatere, ac candidè, te non amplius mereri dulce nomen filii, nec dignum esse, qui hoc nomine posthac unquam compelleris; sed te ex illorum numero esse, de quibus Moyses. c. 32. loquitur: *peccaverunt ei, & non filii ejus in sordibus. Hæccine reddis domino populo stulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus?*

Punctum secundum.

Considera, ad quas miserias filius prodigus extra domum paternam redactus fuerit: ab omnibus, & omni ope destitutus, in extremam incidit paupertatem, caninam passus famem, vile mancipium, seminudus laceris centonibus vix ad honestatem debitam tectus, ab omnibus contemptus ac derisus: & hæ sunt illæ miseriæ, quas sibi accersit, quisquis à Deo recedit.

1. Itaque à patre, ejus famulis, & domesticis omnibus desertus, & remotus hærebat in regione longinqua. Hic ipsissimus status est omnis peccatoris, qui terga vertens Deo, ex ejus conspectu se proripuit. Deus neminem deserit, nisi à quo ipse priùs fuerit desertus: sic certos nos reddit *Tridentinum* Sess. 6. c. 11. *Non deserit, nisi priùs deseratur.*

Consistit autem hæc desertio in privatione & ablatione gratiæ sanctificantis, quæ nos Deo charos, gratos, & adoptivos filios faciebat: consistit in privatione gratiæ auxiliatricis; & quamvis falsa sit aliquorum doctorum opinio, putantium, quandoque peccata puniri subtractione totali omnium omnino auxiliorum divinæ gratiæ, ita ut peccatori indurato impossibilis reddatur conversio, & reditus ad statum gratiæ; nec un-

unquam credi possit, quòd Deus velit, hac vita durante, peccatorem castigare pœnâ, quæ statum viatoris evertat; quippe, qui tamdiu, quamdiu vivit, tenetur & obligatur anhelare, tendere, & omni conatu quærere consecutionem sui ultimi finis supernaturalis, nempe salutis æternæ; & quamvis juxta communem Theologorum doctrinam Deus apto, & opportuno tempore sufficientia, etiam perditissimis, & obstinatissimis peccatoribus media & auxilia ad agendam pœnitentiam, & recuperandam gratiam suppeditet; tamen extra omnem controversiam est, quòd Deus miserum peccatorem quandoque in suis peccatis destituat auxiliis efficacibus, & solis gratiis sufficientibus suffultum, quibus, licèt posset, nunquam tamen usurus prævidetur ad recuperandam divinam gratiam, sed hæsurus in peccatorum, in quæ se ultrò & liberè conjecit, abysso usque ad mortem, & his immoriturus.

Filius prodigus non est genuina imago illorum, qui à DEO hac ratione omnino, & tam miserè in suis peccatis deseruntur, licèt quivis peccator, qui tam longè à DEO recedit, se dignum reddat tam fatali derelictione: meritò tamen time & cave, ne & tu in hanc ineluctabilem miseriarum abyssum prolabaris; summásque redde DEO gratias, quòd optimus & misericors Deus majore te prosequatur pietate, & misericordiâ, quàm pater ille in Evangelio descriptus filium

um suum prodigum prosecutus est; nam hic nullum è suis misit, qui vagum quæreret, domum invitaret, & ad patrem reduceret; cùm tamen te Pater cœlestis, à se profugum, ipsemet quæsiêrit per internas inspirationes, & efficaces instinctus, te invitaverit ad reditum, & domum reduxerit.

2. Dum filius prodigus à patre tam procul remotus in regione longinqua versatur, patrimonium & omnem substantiam decoquens, ad extremam reducitur egestatem: *postquàm consummâsset omnia, cœpit egere.* En novam miseriam, quam sibi accersit peccator tam longè à Deo remotus: amittit, & abligurit totam substantiam, & ad incitas redigitur: meritorum illorum per tot retrò annos collectorum ingens cumulus deperditur.

Ut autem hujus deplorabilis jacturæ magnitudinem ritè dignoscas, opus est, ut seriò, attentóque animô consideres, quanti æstimanda, quantíque pretii sit vel unica tantùm, esto etiam minima, pia & sancta operatio. Calix frigidæ etiam semel tantùm ex amore Dei & proximi sitibundo porrectus, tanti coram Deo valoris est, ut cœlum ipsum, imò Deus ipse, & utriusque perpetua possessio vicissim reddita, non censenda & habenda sit pro liberali & gratuito dono, sed pro mercede, etiam ex justitia, & jure debita; ita enim loquitur Apostolus 1. ad Tim. c. 4. *Corona justitiæ, quam reddet Dominus*

minus in illa die justus judex. Tot coronas justitiæ, quot opera bona amittit, qui à Deo per peccatum recedit, & in longinquam regionem abit.

Potéstne major jactura, luridior prodigalitas, deplorabilior bonorum omnium decoctio, & dissipatio excogitari?

3. Paupertas filio prodigo necessitatem imposuit quærendi herum, cui famularem elocaret operam; quem etiam nactus est divitem quidem, sed avarissimum, tam tenui ejus obsequia mercede remunerantem, ut ægrè vitam sustentaret. Adolescens nobili & illustri natus prosapiâ, in paterna domo inter delicias, omnésque commoditates tenerè educatus, extra domum paternam in eas devolvitur miserias, ut fortunæ prosperæ adscribere debeat, si crudeli hero famulari possit.

Hæc est sors omnium illorum, qui à Deo recedunt: coguntur servire duram servitutem diabolo, juratissimo humani generis inimico, & dum desinunt esse filii Dei, fiunt miserrima diaboli mancipia. Hæc miserrima metamorphosis, seu mutatio à Jeremia in suis Threnis amarè deploratur sub schemate desolatæ urbis Jerusalem, quæ priùs dominabatur regnis, & provinciis, subinde subjugata, catenis onerata, instar vilissimi mancipii Chaldæo victori servire coacta est: *Quomodo sedet sola civitas plena populo? facta est*

quasi vidua, domina Gentium? princeps provinciarum facta est sub tributo? Thren. 1.

4. Filium prodigum herus suus non alii præfecit officio, quàm vilissimi subulci, ac sordidi porcarii; ad hoc dignitatis, & honoris fastigium tandem evectus est hic adolescens illustrissimis, & splendidissimis ortus natalibus.

Et hæc ipsissima imago & sors est illorum, qui peccato & diabolo serviunt: horum prima, si non unica cura, & occupatio est, pascere brutales & sordidos appetitus suos insatiabiles, qui semper ingeminant, *affer, affer, & nunquam dicunt, satis est*, quin ipsimet tandem in bruta, & belluas transeunt; nec manent ampliùs brutorum custodes, cùm vivant instar brutorum, nec juxta rationis leges, sed affectuum suorum cœco ferantur impetu, & præter speciem externam nihil ampliùs de homine retineant: & hac de causa sacræ Litteræ compellant hominem peccatorem nunc hujus, nunc alterius belluæ, ac bestiæ nomine, ut innuant, peccatorem non esse unam ac simplicem, sed multiplicem bestiam.

Propter effrænem, indomitámque suam luxuriam vocatur equus, mulus &c. *Equi amatores, & emissarii facti sunt* Jer. c. 1. *Sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Psal. 31. ob mortiferum venenum, quo peccator turget, vocatur vipera: *progenies viperarum.* Matt. c. 3. ob suas fraudulentias, tectos ac proditorios

torios dolos versipelles astutias, vocatur scorpio: *& cum scorpionibus habitas.* Ezech. c. 2. ob inexplebilem famem auri, argenti, & semper plura corradendi, comparatur leoni: *sicut Leo paratus ad prædam.* Psal. 6. ob imprudentiam in rebus dignoscendis, æstimandis, ferendóque de illis æquô judiciô, comparatur jumento ratione carenti: *comparatus est jumentis insipientibus.* Psal. 48. ob fœtentes lasciviæ sordes comparatur porcis; *sus lota in volutabro luti.* 2. Petr. c. 2.

Nabuchodonosor in peccatorum suorum pœnam exteriori specie ac figurâ per septennium integrum belluam præsetulit, sed interiùs pejor, ac truculentior reipsa erat fera, ac bellua, quàm apparebat: hinc Danieli ostensus est instar monstri ex duabus bestiis conflati, nempe ex aquila ob suam rapacitatem, & ex leone ob tumidam superbiam, & fastum: & hæc est ingens peccatoris miseria, qui tandem ad, vel potiùs infra conditionem bestiæ dejicitur.

5. Filius prodigus porcorum gregi custos datus, pro suis obsequiis non aliud accipiebat salarium quàm paucas glandes, avidis grunnientium alumnorum suorum dentibus subtractas, quibus famem suam non satiaret, sed aleret. *Cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat:* & hæc ipsa sordidissima portio erat tam tenuis, ut mortem diu arcere non potuisset: *Ego hic fame pereo.*

En in imagine ad vivum expressas miserias, in quas incidit, quisquis rebellibus suis cupiditatibus se mancipium subdit, & has bestias pascere cœpit: nunquam fames ejus expletur, & licèt tam sordido pascatur cibo, tamen semper crescit ejus fames, ita ut ipsi desit, quo abundant bestiæ silvæ. Forsitan propria experientia te hanc veritatem docuerit: cor Dei capax, & factum ad amandum Deum, satiari & quiescere non potest, nisi solo Deo, & in solo Deo: nisi te divinæ voluntati conformes, ejus divinis legibus, paternísque mandatis submittas, nunquam & nuspiam invenies veram pacem, & solidam quietem: *miseros facit populos peccatum.* Prov. c. 24.

Punctum tertium.

Considera filii prodigi felicitatem, unde hæc originem sumpserit, & ad quam sublimem gradum hæc denuo ascenderit.

1. Origo hujus felicitatis fuerunt tres animi reflexiones. Primam direxit in seipsum: *in se reversus dixit: hic fame pereo.* Incepit sapere, rediit ad cor, dissipatis mentis nebulis agnovit infelicitatem sui status; miseriæ, & adversitates aperuerunt mentis oculos: *vexatio dabit intellectum.* Isa. c. 28.

Et tu igitur ad te ipsum, ad mentem redi, si fortè peccatum, vel alia perversa inclinatio

tio te tibimet ipsi, & sanam mentem eripuisset. Perpende tuam miseriam, teipsum hortare, & dicito: ergóne semper vitam agere cogar miseram, inquietam, famelicam? ergóne semper ero vile cupiditatum mearum effrænium mancipium? ergóne semper in evidenti animam æternùm perdendi periculo cœcus hærebo, & demens ridebo? tempus tandem est, dirumpendi vincula, quibus vincior, & pristinam recuperandi libertatem filiorum Dei.

Secunda reflexio filii prodigi in familiam & famulos domûs paternæ, directa erat: *quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus:* & ego tam enormiter adhuc pergam stultescere, ut malim esse deterioris conditionis, quàm ipsi sint?

Hæc igitur & tu tibi ob oculos pone. Quot sæculares homines, quos optimè nôsti, vitam ducunt omnibus ornatam virtutibus, eximia aliis dant probitatis exempla, majore fruuntur pace, & animi tranquillitate, quàm tu in statu Ecclesiastico! ipsi quantumvis longè inferioris conditionis in Ecclesia Dei, quàm tu vir Ecclesiastice, pluribus & sincerioribus perfunduntur cœli solatiis, quia Deum pro modulo suo sincerè amant, ejúsque præceptis exactè obediunt: animos sume, & conare illos, si non superare, saltem æquare, & imitari; tibi etiam dictum, puta, quod S. Augustinus sibimet toties in-

gemi-

geminavit: *quod istæ & istæ potuerunt, tu non poteris?*

Tertia reflexio filii prodigi proponebat patris sui bonitatem, & clementiam: *ibo ad patrem meum.* Recurrebant animo favores & amores paterni, quibus eum, quamdiu in domo paterna vixit, semper prosecutus est; hac tam dulci memoriâ emollitus, & allectus, decrevit redire ad patrem, spe firma conceptâ, se in patre inventurum priorem patrem, & tenerum cor patris, quamvis ipse amisisset, & in se delevisset, quidquid erat, & habuerat filii.

Itaque & tu perpende bonitatem infinitam Patris tui cœlestis, bonitatem infinities majorem, quàm fuerit bonitas illius patris, quem nactus fuerat optimum filius prodigus, nam hic nihil laboris, aut operæ impendit, ut recuperaret filium amissum; non vocavit, non invitavit, non misit, qui illum quæreret, & quamvis illum amanter exceperit, paternis ulnis tenerè strinxerit, tamen hoc unicâ, & primâ tantùm vice præstitit; nec legitur, aut invenitur alicubi, quòd hic pater iteratò, & secundâ vice in priores errores relapso filio suo ignoverit, & in gratiam receperit. Sed Pater tuus cœlestis quanta non fecit, quanta non tulit humanâ carne vestitus, ut te recuperaret?

Revocavit, invitavit toties, quoties intellectum tuum supernis radiis, & subitaneis quasi coruscationibus clarissimè illustravit;

vit; quoties internis impulsibus & robustis instinctibus cor tuum suaviter & fortiter pulsavit, & quodammodo arietavit: te quæsivit, non secùs, quàm pastor bonus, quæsivit oviculam suam errantem, & deperditam: misit, qui te quærerent, ministros & cursores suos, hoc est concionatores, operarios, Missionatios, virósque Apostolicos: jam sæpius, & iteratis vicibus expertus es tenerrimum cor, amorem ardentissimum, & plus quàm paternum erga te, hujus tui cœlestis Patris; cùm te sæpius, ne dicam sæpissimè in pristinas miserias relapsum, semper eâdem, & pristinâ misericordiâ, bonitate & clementiâ redeuntem benignissimè susceperit, & in filium receperit: dic ergo & tu, & quidem jure longè majori: *surgam* ex mea tepiditate, ex meis negligentiis, ex mea cœcitate, ex meis peccatis, *surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cœlum, & coram te.*

2. His seriò perpensis, filius prodigus domum revertitur, mercenariis duntaxat annumerari cupiens, & enixè rogans. Sed pater è sua dignitate futurum ratus, majora filii petitis liberaliter concedit. Imprimis eum non increpat, non asperè in ipsum invehitur, non objicit delicta commissa, non exprobrat sarcasticè, quòd nunc primùm redeat, quando fames extrema ipsum compellit; non altâ voce intonat, eum mereri, ut fuste potius ex domo paterna eliminare-

tur,

tur, quàm ut in eam admitteretur; sed eum à longe conspicatus paterna sibi sensit viscera ad commiserationem, & pietatem commoveri; hinc moræ ulterioris impatiens obviàm currit advenienti, eum amanter amplectitur, tenerrimè ambobus brachiis pectori adstringit, ejúsque fronti dulce pacis, & redivivi amoris signum ac pignus, osculum imprimit, jubet, ut sine induciis induatur novis, & illustri stemmati suo congruis vestibus; ut ejus digitis inseratur annulus gentilitius; ut pedibus digniores calcei adaptentur; ut vitulus saginatus, & pinguissimus ex omnibus mactetur; ut inter festivos tubarum & tympanorum sonitus mensa lautissima insternatur, & opiparum adornetur convivium; & harum lautitiarum, & lætitiarum omnium causa unica est, quòd pater filium suum, qui perierat, quem perdiderat, denuò recuperaverit: ô quàm magnus; quàm tener, quàm benignus est patris hujus amor erga filium ingratum, & indignum!

Sed nunquid multis parasangis hunc amorem præcurrit, & superat amor tenerrimus, quo Pater cœlestis amplectitur peccatorem pœnitentem? aspicit ipsum benignissimis oculis, serena & explicatâ fronte, quando se ejus pedibus adsternit, nec carpit, vel verbulô, ejus delicta. Christus peccatoribus ad se venientibus nunquam legitur vel obiter tantùm objecisse priora delicta; non per-

perjuria Petro, non usuras, & lucra injusta Zachæo, non impuritates suas Magdalenæ; *sic de toto indulget, ut nec confundat improperando.* Augustinus de Dilect. c. 12. Quinimò sicut filius prodigus per pœnitentiam reversus ad patrem, præhabitus fuit suo fratri, ita non rarò peccatores post veram, seriam, ferventemque pœnitentiam de suis sceleribus actam, præferuntur ipsis justis: sic Petrus præhabitus fuit aliis Apostolis: sic Magdalena aliis piis mulieribus, Christum sequentibus, prælata fuit.

Recuperat peccator pœnitens patris gratiam, omnia veri filii jura. stolam innocentiæ deperditæ, saporem & teneritudinem devotionis, annulum divini amoris, habitus supernaturales virtutum, mensam Eucharisticam ipsi in suo ad Deum reditu instructam, amplexus Christi crucifixi, tamdiu extensis in cruce brachiis eum exspectantis, & quasi nostra ad Deum conversio cederet in Dei, non in nostram utilitatem, lætis & pretiosis induitur gratiarum vestibus, & cœlum pia celebrat hilaria: *gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. c. 15.

Si ad hos amoris ardores, & benignitatis excessus non colliquescas, non redames, silice durius cor geris; fatere coram DEO candidè, te his specialibus gratiis, & divinis cupediis minimè dignum esse; satis & abundè esse, si admissus fueris in domum paternam,

nam, & iis accensitus, qui patrifamilias in sudore & labore serviunt, pondus diei & æstûs portant, & mucidi panis frustillo, ac limpidâ victitant, quales esse solent, quotquot seriâ pœnitentia ducti, prioris vitæ errata emendare, & contracta apud divinam justitiam debita expungere in hac vita satagunt: *Non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis:* dicito, lætitiam & gaudium, quod Deus ostendit eâ solùm de causâ, quia te denuo recepit, & recuperavit, nimiùm lenire, & dulcem reddere amaritiem pœnitentiæ tuæ, quamvis hæc ipsa Dei ob peccatorem conversum concepta, & demonstrata lætitia ex altera parte augeat pœnitentiæ, & misti doloris amaritiem, dum peccatori clariùs ob oculos ponit, quàm bonus, & clemens sit dominus à se toties, & tam fœdè offensus: dicito; quòd hac una de causa potissimùm, vel unicè tibi displiceat, & summè doleat, te Deum tuum deseruisse, & offendisse: quia Deo tuo tantopere displicuit, & doluit, quòd te perdiderit, & amiserit: Pete à Deo, à tam benigno, & tui amante patre divinam & paternam benedictionem & protectionem, sanctè spondens, tecum hac, & sub hac benedictione victurum usque ad ultimum halitum.

Propitiare Domine supplicationibus nostris, & animarum nostrarum medere languoribus, ut remissione peccatorum per-

ceptâ,

cèptâ, in tua semper paterna benedictione, & protectione lætemur. Per Dominum nostrum JEsum Christum &c.

Dies sexta

Meditatio duodecima.

De duobus vexillis.

OMnis viator viæ illius, per quam mille periculis, mille difficultatibus septam, ipsi in patriam redeundum est, ignarus, ne erret, ducem quærit. Nobis verbum Incarnatum, de quo scriptum est Isa. c. 55. *Dedi eum ducem, & præceptorem,* datum est pro magistro & duce, qui nos doceret, nobísque iter monstraret tutum ac certum salutis, & perfectionis. Præsens meditatio nobis animos addet ad sequendum ducem tam peritum & fidelem, ejúsque premenda vestigia; & hoc est initium viæ illuminativæ, & meditationum ad hanc spectantium, quæ disponit, ac ducit ad charitatem perfectam: nam meditationes præcedentes spectabant ad viam purgativam, & ad tollenda impedimenta salutis omnia.

Præmissa igitur oratione consueta, sequentia duo præludia adjungito.

Primum sit, ut tibi imagineris ex una parte Christum, in aperto, amænóque campo prope Hierosolymam amabili, placido, serenóque vultu consistentem, in omnem terram, totúmque mundum suos, quibus cingitur, Apostolos ablegare & dispergere, ut milites conducant, & ad vexillum Christi, id est, crucem adducant. Ex altera parte tibi imaginare Luciferum non procul Babylone, alto insidentem solio, truci, & terribili vultu, iras, flammas & minas spirantem, qui & ipse circumfusam dæmonum turbam in totum mundum dimittat eum in finem, ut quotquot possunt, in suas partes, in sua castra attrahant, & sub lunæ vexillo, inconstantiæ & defectuum symbolo, conscribant.

Secundum sit, ut gratiam petas audiendi, & sequendi vocem Christi, te tam suaviter & seriò invitanis; è diverso aures obturandi & tergum obvertendi Lucifero, te tam dolosè pellicienti, & invitanti. Hinc adhibebis hodie sequentes orationes jaculatorias. *Notam fac mihi viam, in qua ambulem.* Psal. 142. *sequar te Domine, quocunque ieris.* Matth. c. 8. *Abrenuntio Sathanæ, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus: Rituale Rom. de sacr. Baptis.*

Dividatur Meditatio in tria hæc puncta 1. qualitas invitationum tum à Christo tum à Luci-

à Lucifero fieri ſolitarum. 2. Cauſæ impellentes ad ſequelam Chriſti, & non Luciferi. 3. Qualitas illorum, qui ſe jactant de Chriſti ſequela, & reipſa Chriſtum non ſequuntur, ſaltem non ſeriò & perfectè.

Punctum Primum.

Conſidera, quid Chriſtus tibi proponat, & promittat, ut te ſub ſuum vexillum, ad ſua caſtra alliciat, & attrahat; quid è contrario aſtutè proponat Lucifer, ut te, deſerto Chriſto domino, ſibi ſuccenturiet; denique hæc duo invicem componi non poſſe, ut Chriſti ſimul, & Luciferi caſtra ſequaris, & ſub utriusque vexillo milites, uno eodemque tempore.

1. Voces & promiſſiones, quibus te Chriſtus ſub ſuum vexillum, ad ſui ſequelam invitat, ſunt internæ inſpirationes, & illuſtrationes, quibus te hortatur, & animat, ut cum cruce tua ſequaris ſe cum ſua cruce præeuntem; *qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam,* Luc. c. 9. ſpondet ſe in omnibus præiturum exemplo, ſe in fronte aciei, ut ſtrenuum ducem decet, ſemper ſtaturum, & pugnaturum; à te nil aliud exigit, quàm ut impigrè, & imperterritè ſe imiteris, & ſequaris.

Siquis regum ſubditos ſuos invitaret ad ſummi momenti expeditionem contra

injustissimos & perduelles hostes suscipiendam, sub his pactis certò adimplendis; se semper primum futurum, qui in hostem moveat, omnibúsque periculis se exponat: se spolia omnia, etiam opima, ex hostes reportanda suis militibus cessurum, solâ sibi servatâ gloriâ, quamvis & hæc in ipsos esset redundatura; victoriam fore facilem ac certam, modò sequi, & pugnare non pigeret; quis unquam ex subditis tam ignavus, & væcors foret, qui non promptè, sub vexillum talis regis convolaret, & se non solùm ad pugnandum, verùm etiam ad moriendum cum ipso, & pro ipso sponte offeret.

Ludovicus Rex Franciæ propositum, quod animo conceperat, barbaris justissimum movendi bellum, eísque terram sanctam eripiendi aperturus, non solùm totam aulam, sed totius regni proceres convocari jussit; constitutâ die vestitu regio ornatus coram omnibus comparuit, crucem chlamydi regiæ intextam ostentans: paucis mentem suam explicavit, seipsum cum suo exercitu trajecturum mare ad recuperandam terram sanctam, & loca Christi vestigiis, sudore, & cruore sacrata, ex infidelium manibus vindicanda, invitare se proin omnes in societatem, sub crucis vexillo congregandos, & secum prælia Domini prælianturos. Eam vim habuit apud omnes hæc regis publica declaratio, & invitatio, ut nullus fuerit, qui

se

se ad regem suum promptè sequendum, & comitandum non obtulerit, nullis absterriti periculis & difficultatibus in re tam ardua: quos inter primi fuerunt non solùm tres regis fratres, & omnes reliqui regio stemmate, & sanguine orti principes, sed ipsa regina regis uxor, cum omnibus regni totius principibus fœminis.

Finge tibi, Christum hanc ipsam observare methodum ad invitandos nos omnes, præprimis homines Ecclesiasticos, ac religiosos, tamquam principes in regno suæ Ecclesiæ catholicæ, ad sui sequelam, & ad militandum secum sub vexillo crucis, ut obtineamus, & recuperemus terram sanctam, id est, paradysum, cœlestem patriam; quis, obsecro, è nobis tam væcors, iners, & ingratus erit, qui Christum Redemptorem, talem regem, DEUM & hominem audire, & sequi renuat, etiam sub cruce sua?

Scire tamen, & meminisse oportet, sub cruce militare, crucem Christi amplecti, nihil aliud esse, quàm amplecti paupertatem, dolores, & contemptus. In his Christus, si attentè ejus vitæ tenorem perpendere placeat, ab ipsa sua nativitate, per totius vitæ decursum, in ipsa morte, præivit exemplô: ut hæc imitemur, Christus nos in Evangelio passim hortatur: ut paupertatem amplectamur, & cor nostrum à divitiis penitus avellamus, si non ipso facto, & effectu, saltem affectu, & seriô desideriô, Luc. 33. *qui*

non renuntiat omnibus, quæ possidet non potest meus esse discipulus. Ad dolorem salutiferum pœnitentiæ internæ, & externæ conjunctum nos animat Luc. c. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Ad mundi contemptum, & amandam illam humilitatem christianam, quæ magni nominis umbram, & æstimationem hominum, animæ saluti noxiam non curet, Matth. c. 18. *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Hinc facilè colliges, unde proveniant certi impulsus, quos in corde tuo quandoque sentis, ut bona hujus mundi caduca & fluxa non cures, qualia sunt divitiæ, voluptates, honores; sed his contemptis, omnem affectum & curam ad bona æterna transferas; sunt voces Dei, te invitantis, ut cum cruce tua se, cum suâ præeuntem alacriter sequaris. Gratias age maximas Christo Domino, quòd te non semel, sed toties ad sua castra, & obsequia invitare dignetur, etiam postquam à te jam sæpiùs repulsam passus est.

2. Invitationes diaboli ad sua castra nihil aliud sunt, quàm tentationes, quibus cor nostrum pulsare non desinit: his te trahere nititur ad amorem omnium illorum, quæ è Diametro sunt contraria bonis à Christo propositis, videlicet; ut paupertatem horreas, fugias; ut bonis terrenis inhies; & hæc est illa *concupiscentia oculorum*, prout illam nomi-

nominat S. Joannes in Epiſtola ſua prima; deinde fugias, quidquid corpori, & hujus ſenſibus moleſtum, & è contrario avidè aucuperis, quidquid voluptatum ſenſus titillat, & corpus demulcet: & hæc eſt celebris illa *concupiſcentia carnis.* Demum ut omnem contemptum angue pejus fugias, omnem vel minimam injuriam, ſi aliter nequeas, etiam ferro ultore vindices, gloriam verò, & exiſtimationem humanam, auram popularem avidiſſimè veneris, honorum, dignitatum apices ardenter ambias, & ſecteris: & hæc eſt decantata illa *ſuperbia vitæ.*

Diſce itaque nunc tandem, ex quo fonte profluant illæ animi tui propenſiones, & inclinationes nunc ad cumulandas opes, & congerendas divitias; nunc ad procurandas commoditates corporis, blanditias, & delicias, nunc ad tui, tuarúmque rerum tumidam jactantiam, & faſtuoſam oſtentationem, ad acerrimè ſentiendam, etiam flammâ & ferrô ſanandam vel leviſſimam honoris puncturam, & læſionem. Hæc & plures aliæ his ſimiles propenſiones, ſunt mera incitamenta, & invitamenta dæmonis, quibus te ad ſuas partes, ſub ſuum vexillum trahere nititur: & hæc tibi nonnunquam proponentur à diaboli vicariis, & emiſſariis, à pravis ſociis, qui tibi præcinent illud Sapi. c. 2. *venite, fruamur bonis, quæ ſunt; & utamur creatura tanquam in juventute celeriter: vino pretioſô & unguentis nos impleamus, & non prætereat*

nos flos temporis - - - - opprimamus pauperem &c.

Et has ipsas invitationes, vel iis similes ad convivia, conventicula, ad tripudia, ad falsa, ad inania, ad fucata & deceptoria hujus mundi gaudia quoties non jam audire debuisti à viris, etiam Ecclesiasticis, paris tecum, vel etiam altioris dignitatis & auctoritatis? Disce cognoscere infectam radicem, ex qua pullulant hi fructus venenati; multùm enim proderit ut scias hos, quando tibi offerentur, dextrè repudiare, & ad hos degustandos invitantium, & pellicientium voces, surdis auribus præterire: sæpe credes, te invitari ab amico sincero & felicitatis tuæ cupido, cùm sint occultæ insidiæ dæmonis, te perdere quærentis.

3. Nemo sibi imaginetur, se uno humero uni, & altero alteri domino simul, quin alterutrum offendat, obsequia sua addicere, ac præstare posse; seipsum deciperet, audi, quid Matth. c. 6. dicatur: *Nemo potest duobus dominis servire*, nempe inter seipsos semper contrariis, & contraria jubentibus; quales utique sunt Christus Dominus, & perfidus Lucifer, æterni, & juratissimi inter se inimici.

Pauci sunt ex Ecclesiasticis, qui palàm se dæmonis partes sequi profiteantur; quod tamen non pauci ex sæcularibus publicè profiteri minimè horrent; sunt tamen complures etiam ex Clero, qui volunt esse, & se

se exhibere ambidextros; profitentur vitam clericalem, unicè DEO & hominum procurandæ saluti impendendam; interim tamen si non unicum, saltem præcipuum illorum studium est corradere pecunias, coëmere fundos, augere reditus, & infarcire crumenam, & utinam modis & mediis semper licitis!

Quæritur, & procuratur vita semper commodior, & mollior, omnibus molestiis libera, & utinam semper sine Dei offensa! quæritur & procuratur semper gradus altior, dignitas sublimior: faxint superi, ut hæc exaltatio non fraudibus, simoniacis artibus, calumniandô & deprimendô alios, obtineatur! verbo, multi vocantem Christum sequi vellent, ita tamen, ut luciferi invitationes negligere nolint: sed ne vos ipsos decipiatis, cavete; non potestis ambos hos dominos repudiare, nec ambos acceptare: tantum uni vel alteri necessariò adhærendum, & serviendum est. In tuo arbitrio solùm est, unum ex ambobus eligere, qui tibi magìs placet; sed caveto, ne eam facias electionem, cujus te æternùm pœniteat.

Punctum secundum.

Considera causas, te ad sequendum Christum, & deserendum luciferum impellentes;

quæ licèt sint plurimæ, tamen ad tres præcipuè reduci possunt; quòd ad hanc Christi sequelam nos impellere debeat justitia, convenientia, & propria utilitas.

1. Sequi titulo justitiæ debes Christum, cùm sit legitimus Dominus tuus; Lucifer verò dominus intrusus regni usurpator, ac tyrannus; imò miserrima, ac detestabilis creatura. Titulus hic justitiæ nititur fundamentis firmissimis; qualia sunt, excellentia suæ naturæ Divinæ; potentia, qua nos creavit; ingens pretium, quo nos redemit. Itaque noster absolutissimus Dominus est Christus, quia est noster Deus, noster creator, & noster Redemptor.

Quod primum attinet, observa, omnis dominii naturalis basim esse naturæ excellentiam; & hæc causa est unica, cur creaturæ inferiores serviant superioribus; elementa plantis, plantæ animalibus, animalia hominibus; & intra limites ipsius naturæ humanæ fœmina viro subjecta est, tanquam individuum imperfectum alteri individuo magis perfecto, & numeris omnibus intra suam speciem absoluto. Magnam Christo Domino inferres injuriam, & committeres injustitiam, si recusares te illi subjicere, cùm ipse ùt Deus, infinities sit superior tuâ limitatâ naturâ; atque ideo obstringeris ipsi exhibere infinitam subjectionem; & hanc ipsam ob causam seipsum ita alloquitur David Psal. 61. *Nónne Deo subjecta erit anima*

mea;

mea; nam & ipse Deus meus. Tu etiam equo indignaris sternaci, & recalcitranti, ob illud dominium, quod in equum habes; & tamen nonnisi unico gradu superior es equô: & anima tua subjecta esse recuset Deo, qui illam superat infinitis perfectionum gradibus?

Quod concernit secundum; observa artificem operis, quod elaboravit, fieri dominum: Pictor sit dominus imaginis, quam suis coloribus, & penniciliis in sua tela eleganter expressit: sculptor illius statuæ, quam ex marmore, vel ligno formavit: & tamen nec marmori, vel ligno hic suam soliditatem, sed solam figuram; nec ille telæ texturam, sed solam colorum distributionem, ac partitionem contulit. Quàm longè altius dominium in nos omni jure hinc competet Christo Domino, cùm nos creandô cumulaverit omnibus illis bonis, & donis, quæ possidemus; quidquid sumus, & quidquid habemus, ipsi debemus. Imo cùm illa potentia, quâ nos creavit, fuerit infinita, quali opus est ad aliquid producendum tam ex nihilo sui, quàm ex nihilo subjecti; hinc per solam creationem acquisivit in nos dominium aliquod infinitum, & nos obligamur ad subjectionem aliquam infinitam erga ipsum: adde, quòd titulus creationis singulis duplicetur momentis; nam singulis momentis Deus nobis conservat omne id, quod in creatione dedit; quia juxta Philosophum *conservatio est continuata productio.*

Tu

Tu excandescis in illum, qui fructus tui agri, vel horti furatur, quia per hoc sibi jus, & dominium aliquod arrogare videtur, utendô re tuâ, tanquam suâ, ac propriâ: & tamen tu nec terram condidisti; nec plantas, nec fructus produxisti: tu terram aridam nec pluviis fœcundâsti, nec rore irrigâsti, nullos ex sideribus influxus demisisti. Quàm longè majori jure tibi Christus Dominus succensere poterit, si temerariè recuses, & ipsi deneges tot titulis debitam subjectionem, si tui ipsius, ac tui liberi arbitrii plenum dominum agere, & hanc tibi à Deo concessam animi libertatem divinæ legi submittere detrectes.

Tandem tertiò adverte, te novô titulô dominum fieri alicujus fundi, vel prædii, priùs justè possessi, sed postmodum injustè erepti, si numeratô justô pretiô illud ab iniquo possessore, vel invasore recuperas, & redimis. Hinc Christus Dominus novô & justissimô titulô plenum & arctissimum jus ac dominium non solum jurisdictionis, sed etiam proprietatis acquirit; cùm enim nos ipsos perfidè ejus dominio, & imperio subtraxerimus, in miseram servitutem abstracti, peccati, dæmonis, & æternæ mortis infelicissima mancipia effecti simus, ille nos ab ea miseria exemit, & redemit, expendendô infiniti pretii thesaurum, quem venis sacratissimis inclusum servabat: *non estis vestri, empti enim estis pretio magno* 1. Cor. c. 6. Hac

de

de causa pariter Christus infinitum habet jus dominii in nos; nam ad nos redimendos, ad delendum, & lacerandum chyrographum, quo nos vendidimus, & addiximus pœnis inferni, necessarium fuit, expendere, & in crucis statera numerare pretium infinitum, quale fuit pretium sui sanguinis.

Hìc quoque locum habet superiùs instituta calculatio: nam sicut tot novis vinculis adstringimur ad adhærendum, & serviendum Deo, tanquam nostro creatori, quot momentis ille nos post creationem conservat; ita pariter concludendum est, tot nos novis vinculis adstringi ad Christum Dominum sequendum, & unicè amandum, tanquam redemptorem, quot guttulas sanguinis sui pretiosissimi ille ad nos redimendos profudit; præsertim cùm etiam unica, eáque minima guttula, non solùm sufficiens, sed superabundans pretium fuisset, ad omnes homines redimendos. Ex hactenus dictis, & attentè perpensis, facilè colliges, quanta sit injustitia, quàm enormis sit injuria, quæ Christo Domino infertur ab iis, qui recusant, & pertinaciter negant, se illi subjicere, & obedire.

2. Christo adhærendum ob decentiam, ut impleas promissa toties facta, & iterata. Primam promissionem Deo serviendi, & Christum ducem sequendi fecisti, cùm sacro baptismate ablutus, & Ecclesiæ Catholicæ aggrega-

ga-

gatus fuisti; tunc enim tu, vel alius tuo nomine ita loquebatur, & disertè respondebat: *abrenuntio sathanæ, & omnibus pompis ejus.*

Hanc solemnem promissionem toties renovâsti, quoties pœnitentiæ Sacramentum suscepisti, tunc coram Deo serium semper propositum concepisti, peccatum, & omnes ad hoc inducentes occasiones vitandi, & sub vexillo crucis Christo duce constanter militandi.

Aliàs quoque, cùm è sacris suggestibus verbum Divinum prædicari audivisti, aut libros sacros ipsemet evolvisti, vel animum tuum discussisti & conscientiam rigidè examinâsti, hanc ipsam promissionem iterâsti.

Singulariter fidem tuam Christo obstrinxisti, quando sumpsisti ejus insignia, & vestes servitutis, hero addictæ indices, & testes, nempe vestes, Ecclesiasticas, hac ratione publicè profitendô non solùm interiùs, sed etiam exteriùs, te ab amatoribus mundi, & Luciferi sequacibus separatum, soli Deo adhærere, & servire imposterum velle.

Erubesceres non modicè, si vel semel datam homini fidem frangeres ac promissis non stares, & quidem meritò: & Deo toties datam, tam sanctè promissam & oppignoratam fidem perfidè frangere non pudebit.

3. Ut

3. Ut nomen des sacræ militiæ sub vexillo Christi Domini contra Luciferum, impellere te debet etiam propria utilitas. Perpende tantisper, & pondera stipendium, vel salarium, quod Christus suis, dæmon verò suis servis & militibus promittit, ac solvit. Hic promittit suis assectis stipendia pauca, & exilia; voluptates momentaneas, divitias caducas, fluxas; honores, pompas, dignitates vanas, inanes, instar fumi evanescentes: & de his ipsis, parùm, vel nihil præstat.

Spondet Adamo & Evæ, eos gustatô pomô mortem non gustaturos, & tamen ob hoc ipsum mortui sunt, & mortem derivârunt in omnes posteros suos infelices. Promisit divitias illis, qui divitiis avidè inhiabant, & nihilominus post mille impensos labores, post mille adhibitas artes ie spebus & rebus deprehenderunt defraudatos; *nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis* Ps. 75. Quando autem modicum quid de iis, quæ promisit, dæmon compartitur, exigua illa dulcedo, tot & tam amaris reæ conscientiæ remorsibus suffocatur, ut tot, & tam acerbis pœnis emi nullatenus mereatur tantilla titillatio: fatetur hoc apertè David pœnitens Psal. 34. *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Tandem si per plures annos cumulatis, & continuatis sceleribus indurata conscientia omnem sensum amitteret, & omnium stimulorum ac remorsuum

acies

acies obtunderetur penitus, prout Luthero, aliisque profligatæ vitæ hominibus evenit; si per mille annos in summa quiete frui daretur sub diaboli dominio omnibus promissis deliciis, & gaudiis, tamen his elapsis non per mille annos, sed per mille millena & infinita sæcula in inferno ardendum, & pœnæ æternæ erunt sufferendæ, túne eris ille hominum stultissimus, qui pro mellis guttula obtinenda, qualis reipsa est omne bonum finitum & temporarium, velit demergi in immensum mare fellis?

Jam ex opposito considera stipendia, quæ Christus Dominus promittit, & præbet suis militibus & servis. Verum quidem est, quòd hi non rarò in hac vita variis premantur tribulationibus, & adversitatibus, paupertate, fame, siti, contempti velut omnium peripsema, Christo Domino, & duci suo similes facti: sed hæ tribulationes internis animi solatiis ita condiuntur, ut his comparata omnia mundi oblectamenta insipida, & amara sint.

Israelitis post longum, & asperrimum itet promissa fuit terra melle & lacte fluens pro stabili quiete; & tamen in ipsa etiam viâ tam difficili non defuit suavissimum Manna angelicum fessis viatoribus: simili modo Christus Dominus suis servis & asseclis promittit post confectum peregrinationis hujus itet gaudia æterna, simul tamen durante adhuc arduo itinere, viatoribus suos abstergit

sudo-

ſudores, ſuis ſuccurrit gratiis, & efficacibus auxiliis. Sola conſcientiæ bonæ pax & tranquillitas omne pondus & onus cruci & jugo Chriſti adimit, illúdque ſuave reddit, ac leve. Sic D. Auguſtinus cum Dei gratiâ hujus mundi voluptatibus priùs adeò dilectis etiam cum gaudio caruit: *voluptates, quas amittere metus erat, jam dimittere gaudium eſt.* Fac & tu rei periculum; & experieris, dulciores eſſe pœnitentium lachrymas, quàm riſus & cachinnos effuſos in theatris; luſibus, & converſationibus.

Sed demus; ſit jugum Chriſti grave, ſit crux Chriſti ponderoſa: Qualis proportio inter has pœnas & afflictiones tranſitorias, & inter delicias æternas, quibus Chriſtus remuneratur ſuos fideles ſervos? Labor tuus erit brevis & levis, merces uberrima, & æterna, credito, & dicito: *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Si Deus à te exigeret, ut ſuſtineres omnium Martyrum tormenta, exigua hæc forent omnia, ſi comparentur cum infinito illo præmio, quod tibi præparatum ſervat in cœlo: Quantò magis cùm à te requirat tam pauca & tam parva? ſtatue proin, & ſeriò propone Chriſtum ſequi, ejúsque ſanctam voluntatem, te ejus ſubmittendô præceptis, heroicis virtutum actibus, compenſandô priorem tepiditatem, tempúsque perditum redimendô; cùm tot titulis digniſſimus ſit, cui ferventer & fideliter ſerviatur.

Punctum tertium.

Considera diversi genii & generis homines, qui profitentur, se Christum sequi, horum aliqui Christum non sequuntur seriò, nec toto corde; alii non perfectè.

1. Inter illos, qui Christum non sequuntur seriò, numerari possunt, & quidem primô locô certæ animæ pigræ, & ignavæ, quæ semper vellent, & nunquam seriò volunt; semper in utramque partem claudicantes; & ita differunt suam ad meliora conversionem de die in diem; *vult & non vult piger* Prov. c. 13. vellent acquirere virtutem sine labore; patientiam, quin aliquid paterentur; castitatem sine carnis & sensuum refrænatione; humilitatem sine humiliatione. Si & tu ex horum numero esses, similis esses ægroto, qui quidem sanari cupit, interim adduci non potest, ut medicinam aliquam adhibeat. Non nimium fidas tuis dilationibus; nam facilè interim elabi potest tempus aptum, gratia necessaria, & ipsa voluntas, quæ semper & indies magis malo assuescit, & indurescit.

Alii sequuntur quidem Christum seriò, sed deest constantia: hodie sub Christi jurant vexillo; cras ad vexillum Luciferi deficiunt viles & perfidi transfugæ: hodie pœnitet ipsos suorum peccatorum, cras ipsos

pœni-

pœnituisse pœnitet; si & tu in eâdem cum his nave navigares, similis esses illi ægroto, qui præscriptas à medico medicinas nunc adhibet, paulò pòst nauseat, & cum stomacho rejicit, & ideo nunquam pristinam sanitatem recuperat.

Alii sequuntur quidem Christum seriò, ac constanter, cum aliqua tamen exceptione & conditione; impendere se quidem volunt virtutum studio, sed ex suo tantùm genio, & placito: largiuntur eleemosynas, sed non solvunt debita: indicunt sibimet ipsis spontanea aliqua jejunia, sed à jejuniis in Ecclesia præscriptis se curant eximi: summa attentione pensiculatè recitant certas orationes; persolvunt devotiones ultrò susceptas, preces verò canonicas, vel alias, ad quas legibus adstringuntur, perfunctoriè deblaterant, vel præcipite lingua, elisis syllabis truncant & mutilant. Religiosè observant præcepta omnia; in uno tamen semper deficiunt, immemores, quòd *qui offendit in uno, factus sit omnium reus.* Jacobi c. 2. Si in hac hominum classe fores, similis esses illis ægrotis, qui volunt medicinas juxta suum gustum, & palatum, & non juxta judicium medici; & ideo nunquam suis morbis liberantur.

Christo Domino serviendum est ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus, constanter, sine omni exceptione, & con-

ditione; aliàs nec verus, nec sincerus servus Christi Domini es.

2. Inter illos, qui seriò & ferventer Deo serviunt primô locô statuendi sunt illi, qui mallent millies mori, quàm quacunque demum de causa, graviore ac mortali peccato Deum offendere; quamvìs de vitandis peccatis venialibus non admodum solliciti sint.

Secundô & in longè altiore gradu constituti sunt illi, qui ob nullam rem, quantumcunque pretiosam, ne quidem ad servandam vitam ipsam, induci se sinunt ad committendum deliberatè vel minimum peccatum veniale; hi tamen nihilominus præhabent divitias paupertati, ubi nullum intervenit peccatum, ne leve quidem; suas commoditates incommodis, & molestiis; honores ac dignitates contemptui, & vilipensioni.

Primæ classis Christiani sunt boni; secundæ classis sunt meliores, tertiæ classis sunt optimi, nimirum, qui ardentissimô Christum seriò sequendi, ejúsque vestigia arctè premendi studiô impulsi eligunt, ut se Christo, quàm possunt, simillimos reddant, cum Christo paupere, contempto, crucifixo pauperes, contempti, & afflicti, doloribus obruti esse cupiunt in hac vita, etiamsi par Dei gloria foret, si fruerentur divitiis, honoribus, deliciis hujus mundi; præferúntque casto amore omnibus mundi bonis, divi-

divitiis, deliciis, pompis, honoribus Christi paupertatem, nuditatem, abjectionem, tormenta omnia, & cruciatus.

Te ipsum jam interroga, & examina, ad quem ex his gradibus eluctatus sis; & omnem conatum adhibe, ut ad supremum pervenias, & inter bonos Christi servos, optimis annumerari merearis.

Deus, qui errantibus, ut in viam possint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis, da cunctis, qui christianâ professione censentur, & ea respuere, quæ huic inimica sunt nomini, & ea, quæ sunt apta, sectari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dies septima

Meditatio decima tertia.

De Christi infantia.

PEractæ orationi præparatoriæ subjunges duo sequentia præludia.

1. Imaginare, te ingredi stabulum Bethlemiticum, in quo adorabis divinum infantem, Verbum incarnatum, non aliis cunis,

quàm animalium præsepi, paleis suffulto impositum; cernes eum ibidem præ gelu tremere; octavo die circumcidi, & paulò pòst à tribus Magis adorari, & depositis ad pueri pedes suis coronis, eidem dona regia curvo poplite, in subjectionis debitæ, & venerationis signum offerri.

2. Rogabis Christum Dominum, ut ad lumen sui exempli tandem clarè agnoscere possis fraudes, & dolos, quibus passim in hoc mundo homines circumveniuntur, & decipiuntur; cùm autem Christus ab ipsis incunabilis cœperit nobis hos laqueos, & errores detegere, disce tandem tu quoque hos vitare, ac cautè supterfugere, & præeuntis Christi sequi vestigia, sicut hæc secuti sunt tres Magi ab oriente. Orationes jaculatoriæ hoc manè esse poterunt sequentes: *cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Isa. c. 1. vel illud Ecclesiæ; *Nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis affulgeat, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.*

Meditatio in hæc tria puncta dividitur. 1. consideranda est Christi Nativitas. 2. Circumcisio. 3. Magorum adoratio.

Punctum primum.

Considera, quomodo Christus adhuc tenellus infans statim in ipsis cunis incipiat bella

bella movere tribus juratis hostibus, qui totum mundum subjugare quærunt: qui à S. Joanne Ep. 1. c. 2. vocantur *concupiscentia oculorum*, *concupiscentia carnis*, *superbia vitæ*; inordinatus amor divitiarum, voluptatum, & honorum, opponendô ipsis paupertatem, humilitatem, & mortificationem suam.

1. Percurre cogitatu omnes Bethlehemitici stabuli etiam abstrusissimos angulos, & nihil invenies, quod non spiret, & ostentet extremam pauperiem & miseriam; simul tamen adjunge hanc reflexionem, hæc non casu & fortuitò accidisse, sed consilio. Deus infans non instar aliorum infantium nativitatis suæ tempus, locum, & alias circumstantias citra suam electionem, scitum & arbitrium sortitus est; sed hæc omnia prævidit, & liberrimè elegit, antequàm nasceretur, imò antequam conciperetur.

Pro Matre sibi selegit pauperculam virginem, pauperi desponsatam fabro: pro loco nativitatis non superbum palatium, sed vile stabulum; pro cunis aureis & argenteis præsepe animalium, pro vestitu, pro purpura laceros panniculos, ac centones, quin & victûs parcitatem jam tunc assumpsit, ùt canit Ecclesia: *& lacte modico pastus est.* Tanquam pauperculus vult excludi, & detrudi ex omnibus diversoriis, & tabernis Bethlemiticis, in quibus commodissimè hospitabantur divites hujus mundi; *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Joan. c. 1. tanquam

pauper calorem ad depellendum frigus hyemale, calidum halitum emendicat à duobus animalibus; tanquam pauper vult sufferre patienter omnes molestias, injurias & intemperies temporum extra suam domum Nazarethanam.

Audis primam lectionem, quam tibi vix natus prælegit, & dictat ex præsepis sui cathedra Divinus Magister, facundus infans? quem fructum ex hac hausisti hactenus, quam tibi sancta Mater Ecclesia singulis annis, saltem semel repetit, dum festum Christi Nativitatis solennissimè celebrat, ejúsque memoriam per preces Canonicas tunc præscriptas refricat, & renovat? Hæc eò non collimant, ut hoc Christi nascentis exemplô obligeris ad relinquendas, quas obtines divitias, & facultates; quod solis religiosis incumbit. Status Ecclesiasticus, licèt in primitiva Ecclesia circa bonorum temporalium abdicationem statu religioso vix esset inferior, nunc tamen tam strictè suos non obligat; obstringit tamen eos, qui bona temporalia possident, ad aliquid, quod ipsatalium bonorum omnimoda abdicatione gravius videtur; obstringit eos, ut illa possideant, quasi non possidentes, & possessionem cum perfectâ omnis affectûs, & cordis erga hæc adhæsionis avulsione, & separatione conjungant. JEsus præclara præbuit paupertatis exempla mundo, divitiarum insano amore excæcato; & hæc exempla præbuit

buit divitiis remittendô nuntium; tu non obscuriora præbere obligaris divitias retinendô, siquidem te illis non spoliare decrevisti.

Expono meam mentem: mundum doceas, & sui à te discant necesse est, quantumcunque divitiis affluas, divitias non magni facere, non inordinatè amare, nec iis cor apponere; sed eas bonis æternis postponere, eas spernere, abjicere, calcare, si aliàs spernenda, & calcanda forent præcepta divina. Difficile non accidet homini religioso, qui se omnibus spoliavit, ut Deo expeditiùs serviret, ejusmodi exemplis prælucere hominibus sæcularibus; ipsa paupertas, quam profitetur, & cujus amore reliquit omnia, quæ habebat, & quæ habere ac sperare poterat in mundo, grande & efficax exemplum sæcularibus esse potest, & debet, quàm exiguam æstimationem mereantur terrena omnia, etiam quæ aliàs videntur pretiosissima: Sed quomodo vir Ecclesiasticus hoc ipsum sibi, & aliis etiam persuadère poterit? & tamen potest, & debet sæpius, & in variis occasionibus hoc præstare, nunc in pauperes distribuendô eleemosynas ex reditibus Ecclesiasticis superfluis; nunc reficiendô & restaurandô Ecclesias vetustas, & ruinam minantes, eásque ornandô, & sacrâ supellectile tam lineâ, quàm laneâ ac byssina instruendô; verbô; non parùm ex tuis proventibus Ecclesiasticis detrahendum,

& deputandum erit, vel in necessitates pauperum, vel ad cultum divinum.

Si hucusque cupiditate divitias, & bona terrena coacervandi, quæ à Paulo 1. Tim. c. 6. ad virum Ecclesiasticum scribente, vocatur *radix malorum omnium*, pellectus, & abstractus, excessus aliquos commisisses, vel in acquirendis rebus terrenis, vel in his possidendis, & expendendis, erubesce coram divino infante; gratiam pete, & roga per strictam illam paupertatem, quam ipse coluit, & ut te pariter hanc colere doceret, de cœlo in terram, in stabulum descendit, ut tibi assistat, ne caduca & inania hujus mundi bona te à consecutione bonorum cœlestium, & æternorum impediant vel arceant.

2. Animum adverte ad ea, quæ Christus infans in tenero suo corpusculo passus est. Poterat hic sibi in ipso suo in hunc mundum ingressu corpus eligere jam perfectum, & ùt olim in sui creatione Adam sortitus est, omnibus numeris absolutum; quin debebatur ipsi corpus non minùs gloriosum, quàm quali vestiuntur beati cœli incolæ, cùm ejus anima à primo creationis & conceptionis momento fuerit beata, ac beatificâ visione fruita: & nihilominus sibi corpus elegit aliis hominum & infantium corporibus simile, imò magis tenerum, ad patiendum natum factum, & sensûs tam delicati, ut minima straminis punctura molestior accideret, quàm alii vulnus aliquod: voluit per novem integros men-

menſes clauſus hærere in obſcuro carcere materni uteri, quod homini pleno rationis uſu dotato admodum grave fuerit: voluit naſci media nocte, tempore hyberno, ſæviente frigoris acerrimi rigore, in aperto & ventis undique pervio ſtabulo, omni ad arcendas has moleſtias deſtitutus ſubſidio, hispidis impoſitus paleis.

Hoc ſuo exemplo, & modo vivendi te Chriſtus adhuc in cunis docere, & monere cupit, ne te mundi illecebris incantari & ineſcari ſinas; ſed potiùs à teneris unguiculis aſſueſcas duris, & aſperis, ſenſui contrariis: quem hactenus fructum ex hac inſtructione hauſiſti? fortaſſis ut carnis appetitibus obſecundares, Chriſtum offendere non horruiſti? an ex eorum delicatulorum numero es, qui in omnibus ſuas commoditates venantur ſtudiosè, omnia incommoda, etiam minima, vel tenuem umbram horum à longè fugientes; tantus crucis oſor, quantus hujus Chriſtus infans ſemper fuit amator?

Pudore ſuffunditor ad hanc tui cum divino infante comparationem. Concipe firmum propoſitum omnia, quæ tibi occurrent, adverſa libenter amplectendi, tanquam à Deo immiſſa; ſive ſint morbi, ſive aëris intemperies, & temporum moleſtæ viciſſitudines; ſive flaccidæ, & exhauſtæ ætatis triſtes appendices: quin imò tecum ſtatue, & Deo promitte, te ſæpius renunciaturum etiam illis voluptatibus, quibus ſine

omni

omni Dei offensa frui posses, ut ita Christi nascentis imiteris exemplum, & hac incommodorum, laborúmque tolerantiâ expies nimiam indulgentiam, quam corpori tuo exhibuisti, proprio amore excæcatus.

Roga, & posce à Deo lumen, ad quod clarè cognoscas, præsens vitæ tempus non esse tempus gaudendi, & quiescendi, sed esse tempus dolendi, & laborandi; fieri non posse, ut in hac vita simul, & in altera deliciis, & gaudiis difluamus; sed omnes electos, ac prædestinatos debere conformes fieri imagini Christi, sui Redemptoris crucifixi, velut viva ectypa sub prototypo, obstringíque ad ejus vitam, doloribus & ærumnis obsitam, in se ad vivum in hoc mundo exprimendam, ut subinde participes fiant æternorum gaudiorum in altera vita.

3. Tandem considera humiliationes, quibus se subjicit divinus infans: poterat ille pro libitu nasci ex regio stemmate, ex Matre regia, & inter reginas hujus mundi omnes præcipua; unde natalis dies pompâ maximâ, festivis ignibus, plausibus, jubilis, celebraretur, & non solùm per unum, sed per plura regna passim innotesceret: poterat hunc mundum ingredi non per matris uterum infans, sed vir perfectus, à Patre Deo creatus, ùt olim Adam, & arreptô sibi debitô sceptrô toti mundo imperare: poterat ille statim in ipsa sua Nativitate multitu-

titudine & magnitudine stupendorum miraculorum totum mundum in admirationem, adorationem & sequelam sui & suæ doctrinæ trahere: paucis; poterat, si placuisset, cum illa Majestate, magnificentia, pompa, & splendore in hunc mundum venire, quæ congruebat ejus humanitati, divino Verbo hypostaticè in perpetuum unitæ.

Longè aliter cogitat, decernit, & facit Deus homo: Nativitatem suam vult esse vilem, in angulo remotissimo absconditam coram mundi oculis, in obscuro noctis silentio, in diversorio non hominum, sed animalium, in stabulo, è Bethlemiticæ urbis hospitiis probrosè exclusus, & ejectus omnibus. In hoc regio palatio, in hoc throno non sedens, sed jacens, non imperia dispensans, sed accipiens, tanquam impos, & elinguis infans videri vult ab angelis è cœlo advocatis, à pastoribus rure è vicinia accersitis, à regibus ex remotis regionibus duce stella advolantibus. Nascitur in ipso actu obedientiæ, quam exhibet Augusti Cæsaris legi, & imperio tanquam moriger & fidelis subditus: contra cruentum sævientis Herodis furorem non se defendit omnipotente brachio, & miraculorum impenetrabili scutô objectô; sed debilitatem professus, in Ægyptum profugit.

Quid tuæ ad hoc exemplum videtur superbiæ? tu desideras, ut omnia alii in se suscipiant incommoda, subeant molestias, ut

tu

tu quàm commodissimè vitam ducas, nec ullum vel minimum sentias incommodum: aspiras ad sublimiora semper subsellia Ecclesiastica; ægerrimè te subjicis mandatis & dispositionibus tuorum superiorum; quin & Canonicis constitutionibus tam generalibus, quàm synodalibus; Disce tandem, cape, & crede seriò, humilitatem Christianam esse basim & fundamentum vitæ, & sanctitatis Ecclesiæ, ùt D. Cyprianus jam pridem te docuit: *Humilitas est omnis sanctitatis fundamentum.* Serm. de nativit. Christi. Nimirum, quòd decor & splendor viri Ecclesiastici non consistat in pretiosis, & splendidis vestibus, in magnificis ædibus & palatiis, in equorum & canum gregibus, quos alit; sed quòd consistat in ornandis, & nitidè conservandis templis, in zelo indefesso, quo omnibus omnia fieri desiderat, ut omnes ad Deum attrahat: si humilitas Dei-hominis tuam superbiam non deprimit, & extirpat, actum est, & nullum ampliùs remedium huic fatali morbo tollendo superesse existimat S. Augustinus: *Si hæc medicina superbiam non curat, quid eam curet, nescio.* Domin. 2. Quadr. Serm. 1.

Punctum secundum.

Considera quomodo Christus in sua circumcisione, tui amore triplicem sustineat per-

personam, eámque diversam, nempe personam subditi, personam peccatoris, & personam salvatoris.

1. Sustinet personam subditi, dum se subjicit legi valde arduæ, quæ obligabat infantes Hebræorum ad tolerandam circumcisionem cruentam, & doloriferam: cùm autem circumcisio, publica esset professio, certúmque signum, quòd hanc admittens, se simul toti legi Mosaicæ submitteret; præterea character aliquis in corpore indelebilis, perpetuúmque hujus subjectionis testimonium, hinc illi se subjiciens, necessario se subjecit toti legi Mosaicæ durissimæ; licèt ùt Deus esset omni lege superior; & ùt homo legi scriptæ non subjectus, juxta doctrinam divi Thomæ 2. 2. q. 37. ubi explicans textum illum Apostoli *ad Galatas. c. 4. Misit filium suum factum sub lege* dicit, quòd Christus *factus sit sub lege, quia pondus legis in se sustinuit*, quod D. Thomas ex D. Anselmo desumpsit apud Suarezium in 3. Tomo 1. Disp. 43. Sect. 2. ita loquente: *Subditus est legi, non quia ipse quidquam legi deberet, sed ut nos redimeret.*

Accedit, quòd lex illa scripta solùm Abrahæ, ejúsque posteris, ex suo semine per naturalem generationem descendentibus, imposita fuerit; unde Christum non complectebatur; quippe secundùm substantiam quidem ab Abrahamo descendentem, non tamen per generationem naturalem: & quod

plus,

plus, ac præcipuum est, circumcisio fuerat instituta pro remedio peccati originalis, & ad hoc abolendum; unde hæc lex Christum comprehendere non potuit, qui semper immunis, & longissimè absuit ab omni nævo peccati originalis.

Christus ab omni lege exemptus, se ultrò subjicit legi; & tu pluribus titulis legi subjectus, te quæris eximere ab omni lege: ille altissimus, & supremus ita se deprimit, & humiliat, ut videatur suæ altitudinis & supremæ Majestatis oblitus: tu subditorum infimus caput attollis, & supercilium erigis, ut pænè videaris tuæ vilitatis, & subjectionis oblitus: *humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* 1. Petr. 5. Agnosce te subjectum, & servum non solùm Deo, sed & ministris, Dei locum tenentibus; & hoc contestare non solùm verbô, sed etiam corde, & factis, nam *qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur.*

2. JEsus in circumcisione suscipit in se personam peccatoris: non horret videri indigus, qui à peccato originali mundetur, & hujus medelam suscipit, & quidem non obiter & transeunter tantùm, sed vult, ut carni suæ purissimæ insculpatur indelebilis cicatrix, ignominia innocentiæ suæ perpetua.

In decursu suæ vitæ aliàs sæpiùs inter homines ea suscepit, & in se expressit, quæ alioquin peccatoribus congruunt, & propria

sunt:

ſunt: ſic in Jordane baptizari à Joanne Baptiſta; ſic in monte Calvariæ cruci ſuffigi voluit inter duos latrones medius: ſed dum baptizatur in Jordane, vox divini Patris è cœlo delapſa, Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ candidiſſimæ ſuper caput ejus ſe demittens, ſpontaneam Chriſti demiſſionem exaltârunt, & humilitatis tenebras ſua luce diſpulerunt, ac illuſtrârunt innocentiam. In monte Calvariæ pariter poſtquàm in medio duorum latronum exhalavit animam, omnes creaturæ ſibi unanimiter cordi, & curæ ſumpſerunt, ut conditoris ſui innocentiſſimam innocentiam defenderent, & toti detegerent orbi; ſol retractis radiis obſcuratus eſt; terra contremuit; petræ ſciſſæ ſunt, & hiante ore dederunt vocem. Hinc evenit, ut dum ſe actu, & ipſo facto Chriſtus inſtar peccatoris humiliat, tanquam peccator, exaltaretur non tantùm ùt innocens, ſed etiam ùt Filius DEI altiſſimi. In ſolo circumciſionis myſterio, dum aſſumit inſignia peccatoris, nullis gloriæ radiis teguntur, aut illuſtrantur: ſatis habet, ſi coram oculis æterni Patris ſui ſit, & appareat innocens, nihili pendens, ſi coram hominum oculis appareat reus & peccator.

Hoc enimverò acerbè nobis exprobrat ſuperbiam noſtram, qua non rarò ſtudioſè quærimus, coram hominibus apparere & videri innocentes, parùm ſoliciti, ut tales compareamus, & ſimus coram oculis Dei.

Parùm refert, si te alii sanum judicent, & dicant; tu verò interim periculosè ægrotes; præstat bene valere contra omnium opinionem, quàm malè valere, & videri omnibus sanum. Judicent alii de te, quod, & prout ipsis placet; sufficit, si tua te non accuset, non condemnet conscientia coram DEO: *Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* Augustinus contra secret. Manich. c. 2.

Hoc tandem est, quod unicè tibi debet esse cordi; reliqua omnia vana sunt, & inania. Væ tibi, si tanti faceres hominibus placere, & horreres displicere, ut in ipso sacro pœnitentiæ tribunali sacrilegô silentio peccata tegeres, ne vel coram uno tantùm homine reus, & culpabilis appareres. Christum ora, & roga per illum amoris excessum; qui ipsum impulit ad assumendam personam, & insignia peccatoris, ut gratiam tibi impertiatur, quâ suffultus, erubescas quidem admittere culpas, non tamen culparum remedia.

3. JEsus in circumcisione suscipit personam & officium salvatoris: nec solùm & vacuum nomen & officium salvatoris assumit, sed sine mora operi manus adjicit; & siquidem ad reparandam nostram salutem medicina ex Christi sanguine conficienda, necessaria erat, huic nequaquam parcit, sed in ipsa statim infantia, & vitæ initio hunc profundere incipit: causa, cur hunc non

jam

jam nunc effundat totum, alia non est, quàm ut hunc majore cum dolore, usque ad ultimam guttulam profundere possit, pro coronide ultima nostræ redemptionis juxta Dei ita ordinantis dispositionem. Amor, quo cor Christi ardet nostram perficiendi redemptionem, & injunctum sibi officium ac nomen salvatoris adimplendi, nescit tarda molimina; sed urget, ut omni morâ sublatâ primitias sanguinis placando DEO Patri statim immolet.

Tu disce à Christo, cum honorifico nomine & titulo viri Ecclesiastici, conjuncta pariter onera suscipere. Cumulârunt te titulis, & officiis honorificis ac splendidis Sacerdotis, Curati, Parochi, Rectoris, Canonici, Decani, Archipresbyteri, Prælati, Præpositi: proin cum splendore tituli etiam onus porta annexum. Esto & tu de minoribus salvatoribus, & Christi in salutem animarum cooperatoribus unus: sed qua sollicitudine, & accuratione officii tui partes adimples? Esne tu ex numero illorum, qui gloria dignitatis Ecclesiasticæ tumidi, & fructibus Ecclesiasticis ditati, inerti torpent, & distenduntur otiô, pro salute sibi concreditarum animarum ne guttulam sudoris minimam, ne dicam sanguinis fundere parati, vix pedem è cubiculo efferentes, aut à terra levantes? Hoc utique non docuit, nec exemplô monstravit Christus.

Defle, & ſanguineis deplora lachrymis tuam inertiam, & ſupinam negligentiam, conſiderans ardentem Chriſti zelum, quo in ipſis vitæ ſuæ primordiis effuſo liberaliter ſanguine negotium ſalutis noſtræ auſpicatur; ſeriò ſtatue, humeros ultrò ſupponere omnibus illis oneribus, & laboribus, quos ſtatus, & officium, quod geris, à te exigit, & inſiſtere veſtigiis, quæ tibi ſanguine ſuo ſignata reliquit Redemptor noſter.

Punctum tertium.

Conſidera & diſce ex trium Magorum ad adorandum in cunis divinum infantem advolantium adventu modum, quo divinis inſpirationibus parendum, & obſequendum ſit. In his Regibus emicuit alacritas & promptitudo in itinere capeſſendo, conſtantia in proſequendo, ſpecialis gratiæ agnitio in finiendo.

1. Magi promptè & mox, ubi vocantis Dei vocem perceperunt, ſe in iter dederunt, & advenerunt. Duplex eos lumen ad iter invitavit; unum externum; novæ ſtellæ apparitio: alterum internum, Divina illuſtratio, quæ ipſis clarè detexit, quid ſtella illa portenderet: *Quod oculis oſtendebatur inſolitum, animis non erat obſcurum.* S. Leo. Serm. 1. Epiph. Huic duplici lumini, quorum unum cernebatur oculis corporis, alterum oculis intel-

lectûs,

lectûs nec minimum reluctati sunt, quamvis nec paucæ, nec leves se objicerent difficultates in relinquenda patria, aula, regionibus, subditis &c.

Procul dubio ob oculos versata fuerit longinquitas, & asperitas itineris, tempore hyberno suscipiendi, ad quod invitabantur; populi dicteria, amicorum preces & dehortationes, subditorum lamenta, quæ ipsos à concepto proposito dimovere poterant. Non pauci ex familiaribus amicis ipsos monuerint, perpenderent, an non meritò stultitia dici possit, itineri se committere, cujus metam, sive terminum ignorarent; relinquere suas ditiones, hostium invasionibus apertas; abire in regiones exteras, ignotas, inimicas, sine duce viarum gnaro, sine litteris securum transitum spondentibus: Dei vox, Dei invitatio non est, quæ vos vocat, & incitat ad regem exterum, nescio quem, agnoscendum, eidémque homagium præstandum in sui proprii regni præjudicium: Quot stellæ erraticæ, quot cometæ non jam comparuerunt hactenus, & quis ad harum conspectum se vel latum lapidem movit, aut è regno, & ditione sua pedem extulit? quot hodiedum homines hanc ipsam stellam contuentur, & contemplantur; & quis ex his se movet, vel unum molitur gressum? Ergóne vos soli sapietis, & omnes reliqui desipient &c.? Sed hæc obstacula, & terricula omnia nec minimam objecêre mo-

ram, quò minùs tres Reges non statim summâ promptitudine, & alacritate vocantem Deum imperterriti sequerentur: *vidimus stellam, & venimus.* Matth. c. 2. *vidimus*, & mox sine omni vel minimâ interjectâ morulâ, *venimus.*

Tu conqueri non potes, stellas tibi defuisse propitias, quæ te illuminarent, viam salutis ostenderent, & te per hanc ducerent: quot & quàm clarè intellectui ac menti tuæ non illuxerunt exteriùs, dum pios evolveres libros, dum directores conscientiæ tuæ, vel sacros præcones ex altiori loco audires? quot & quàm splendidas, quàm frequentes, & syrii instar urentes stellas, ac planetas intus, & in corde tuo non accendit, tacitè igneus ille Spiritus Divinus; sed admisistíne harum stellarum tam claros, & fervidos radios, ut mentem tuam illustrarent, calefacerent, accenderent, & dirigerent? an potiùs illis accensendus es, qui vocantur Job. c. 24. *Rebelles lumini?*

Veniam à Deo, tibíque ignosci demississimè pete, quòd toties te humanissimè, & amantissimè invitanti crudissimè tergum verteris, & aures obturaveris; & sanctè ipsi sponde ac promitte cum ipsomet Job: *vocabis me: & ego respondebo* c. 24.

2. Magi cœptum iter inter mille occurrentes difficultates strenuè & fortiter prosecuti sunt. Ubi Hierosolymas appulerunt, & intrârunt, eorum oculis se subtraxit stella,

nam

nam & cœlestes consolationes non semper durant, sed quandoque subtrahuntur. Herodes turbatur cum tota sua aula; nam mali pia bonorum ausa, & opera sufferre non possunt: tota urbs Hierosolymitana commovetur, quamvìs symbolum & figura sit piorum, ac bonorum hominum; nam non rarò accidit, ut ipsi etiam probi, & pii homines aliorum pariter proborum hominum pia cœpta, & opera improbent, tanquam novitates, sive exoticas novationes, scrupulos, nimiam & indiscretam anxietatem, vel è diverso nimiam & noxiam laxitatem inducentes impugnent, & in deteriorem partem accipiant.

Non tamen ideo Magi cecidêre animis: adhibent omnem diligentiam, ut in notitiam veniant loci, in quo novus Rex nasceretur, vel jam natus esset: palàm intrepidè indagant, interrogant in ipsa Herodis aula obvium quemque per totam urbem Jerusalem, præsertim peritiores: & cùm hoc tandem intellexissent ex sacerdotibus, quorum officium est docere & monstrare viam, quæ ad Christum ducit, statuunt, etiam sine stella, ejúsque ductu, iter suum prosequi.

Si tu debilis, fractus, & pusillanimis esses in currenda via mandatorum & consiliorum divinorum, Regum horum, licèt adhuc infidelium inconcussa constantia, & heroica fortitudo tibi animos addere debe-

ret, ut ad eorum imitationem & exemplum, pari fortitudine pergas; nec priùs desistas, quàm cursum consummaveris, comprehenderis, & bravium acceperis. Si omnia ponderare & metiri velis juxta hominum judicium ac sensum, téque subjicere & regere horum sinistris opinionibus, si grande illud Idolum, *quid dicent homines?* formides, colas & adores, vel te tuo solius judiciô regere, nec viri alicujus prudentis directionem sequi velis in illis præsertim, quæ tuam animam, & hujus salutem concernunt, nunquam veram ac regiam invenies viam, per quam itur ad astra: concipe proin firmum propositum non curandi hominum judicia, dicteria & cavillos; superandi generosè & fortiter auxiliante divinâ gratiâ, quidquid difficultatum in via salutis, permittente Deo, tibi occurrerit.

3. Itineris, quod feliciter emensi sunt Magi, finis ac terminus fuit, Christum agnoscere Deum & hominem, eúmque ùt cœli terræque Dominum adorare. Vident rursus stellam tecto male sarto vilis, & laceri mapalis, non regiæ aulæ, aut magnifici palatii, ùt exspectabant imminentem; inveniunt infantem nudum, pauperem, totis artubus contremiscentem, fœno hispido impositum; cùm tamen se inventuros credidissent Porphyrogenitum cæsaris, aut maximi alicujus regis filium primogenitum in cunis aureis jacentem; sed cœlesti lumine illustrati;

lustrati; infantem hunc credunt esse verum Deum, & verum hominem simul; eum in terram prostrati adorant, & in homagium sua munera offerunt.

Simile lumen à Deo pete, Magósque imitare eliciendô actus fidei, adorationis, & oblationis: offer aurum charitatis, thus devotionis, myrrham mortificationis: *non apparebis in conspectu meo vacuus.* Exod. c. 16. Nunquam ad Aram sacram comparebis sine munere, quod sub nube triticea latenti Deo dignè offeras. Non minor humilitas est Dei sub speciebus Eucharisticis absconditi, quàm sit abjectio in fæno jacentis: vult Pater æternus utrumque hoc humilitatis genus Christo compensari; primum adoratione, & munerum oblatione à Magis factâ; alterum adoratione, & munerum oblatione à sacerdotibus faciendâ.

Perpende, qua reverentiâ tu tremendum Missæ sacrificium celebres; quæ munera ad altare afferas, & Deo offeras. Veniam pete de tot irreverentiis, negligentiis, & tepiditatibus inter sacrificandum admissis; ac propone posthac majori fervore, reverentiâ, & meliori dispositione, ac præparatione animi præviâ, tantum præsenti DEO offerre sacrificium.

Dà nobis quæsumus omnipotens Deus, ut qui nova incarnati Verbi tui luce perfundimur, hoc in nostro resplendeat opere,

quod per fidem fulget in mente. Per Dominum nostrum JEsum Christum &c.

Dies septima.

Meditatio decima quarta.

De vita privata JEsu Christi.

PEractâ oratione præparatoriâ, formabis tibi duo sequentia præludia.

1. Pone tibi ob oculos Christum jam adolescentem, in officina lignaria patri suo nutritio, D. Josepho, variis occupatum laboribus, famulam, & sociam locare operam, minimos nutus accipere pro imperiis, etiam à Bma. & virginea Matre sua in rebus domesticis, omni illa reverentiâ & subjectione, quæ à filio morigero erga matrem amantissimam expectari, & exigi potest; cerne ipsum ministeria exercere vilissima, abjecta & servilia, scoppis mundare, & everrere domum, dividere ligna, ea lævigare, dedolare, polire, & his similia &c.

2. Christum rogabis, ut hanc suam officinam mutet in scholam, in qua tanquam optimus, & peritissimus Magister te doceat non tam verbis, quàm factis, & proprio exem-

exemplo exercere virtutes heroicas. Hunc in finem ita Deum cum Davide alloquere Psal. 24. *Dirige me in veritate tua, & doce me.* vel illis Psalmi 37. verbis: *Disciplina tua ipsa me docebit.* His ipsis uti potes pro orationibus jaculatoriis hoc tempore pomeridiano.

Meditatio dividatur in tria puncta sequentia:

1. Vita privata, ac domestica Christi fuit continuum in virtutibus incrementum. 2. continuum exercitium obedientiæ. 3. continua oppositio, & eversio axiomatum mundanorum.

Punctum primum.

Perpende verba illa D. Lucæ c. 2. *JEsus proficiebat sapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines:* hoc est, perpende, quomodo Christus creverit annis, quomodo creverit virtute; quomodo creverit coram Deo & coram hominibus.

1. Crescebat JEsus corporis proceritate, viribus & robore; potuisset Christus, si libuisset, in primo statim in mundum ingressu assumere staturam hominis perfecti, & omnibus numeris absoluti non minùs, quàm Adamus ex terra Damascena formatus est, non ùt infans, qui sensim in virum excresceret; sed vir jam maturus, in quo ad virilis ætatis perfectionem desiderari nihil

pote-

poterat: sed maluit Christus percurrere omnes ætatis humanæ gradus, infantiam, pueritiam, adolescentiam, virilitatem, & infirmitatibus cuivis harum ætatum propriis subjacere, hac ratione sacrandô varia vitæ nostræ tempora.

Roga Deum, ut merita sua, quavis vitæ suæ ætate tam sanctè peractæ ubertim collecta, adhibeat, & suscipiat ad delenda delicta illa, quæ tu in quavis harum ætatum classe commisisti: clama, & exclama: *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.* Ps. 78. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.* Psal. 24.

Finis, quem Christus spectabat, corpus suum alendô, & augendô, erat unicus, ut aptum fieret ad tolerandos labores, dolores, & mortem acerbissimam sibi ex decreto immutabili Patris divini subeundam. Et tu quem in finem hactenus corpus tuum aluisti, & cuticulam tam delicatè curâsti? an actionem istam, cum brutis communem unquam studuisti per intentionem, te & Deo dignam, ad altiorem & supernaturalem finem elevare? Non te latebit, ab Innocentio undecimo sacro prostratam fulmine propositionem illam, qua dicebatur: *Comedere & bibere ad satietatem, ob solam voluptatem, nullum est peccatum.* Et nihilominus quoties tu in hunc defectum incidisti, ut in bibendo & comedendo præter gustûs voluptatem aliud, vel altius nihil quæreres, aut spectares? finis in alendo

per

per cibum & potum corpore, alius esse non debet, quàm ut sanitatem, & vires conserves ad Dei obsequium necessarias; & tuo statui annexa onera portanda sufficientes.

Ne mireris proin, si hactenus corpus tuum sensisti refractarium, contumax, & recalcitrans: *qui delicatè à pueritiâ nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.* Prov. c. 28. tot deliciæ & lautitiæ in vestitu, in lecto, in cibis, in potu, quid aliud pariunt, quàm ut corpus, quod animæ rationali instar mancipii subesse & parére deberet, jugum excutiat, & contra dominum suum insurgat, si non statim, saltem post aliquod temporis spatium? *Postea sentiet.* Tractandum & gubernandum est corpus instar asini: *Cibaria & virga, & onus asino, panis, disciplina & opus servo.* Eccl. c. 33. Asinus pascitur, & alitur, ut par sit laboribus; percutitur, ne recalcitret; oneratur, ut serviat. Hoc ipso modo tuum tibi tractandum est corpus: *Panis*, id est cibus parabilis, mensa frugalis: *disciplina*: id est frænum, quo cohibeatur: *opus*, id est labor, quo occupetur.

2. Crescebat JEsus sapientiâ, gratiâ & virtutibus, quod non ita intelligendum est, Christum crescente ætate etiam nova incrementa adjecisse jam priùs possessæ sapientiæ, & gratiæ habituali; nam à primo statim conceptionis suæ instanti fuit plenus sapientiâ & gratiâ: *plenus gratiæ, & veritatis*: sed

cum

cum S. Thoma P. 3. q. 7. art. 12. ita explicandum est, quòd Christus creverit in externis effectibus tam sapientiæ, quàm gratiæ divinæ, quos demonstrabat, indies majora & excellentiora opera majori simul virtute & excellentiori modo exercendo; non aliter quàm sol crescere dicitur, quamvis in se eandem semper contineat lucis copiam, eosdem radios, quando ad altiorem in zodiaco gradum eluctatus, & à suo indies ortu ad meridiem evectus, totam faciem rutilante radiorum corona cinctam splendidiùs explicat, & diem ipsam clariùs illuminat: genuinus itaque verborum prædictorum sensus est, quòd Christus indies, ac de die in diem magìs inclarescceret, ac majora daret indicia, vultu, corporis gestu, morum compositione, modestiâ, gravitate, circumspectione in loquendo, in operibus suæ sapientiæ, prudentiæ, devotionis, & sanctitatis, illi ætatis gradui, quem conscenderat, congruentis; cùm ergo Christus non posset in his crescere interiùs, crescebat hoc modo exteriùs.

Quid de te ipso judicas? an & tu crescente ætate crescis in virtute non tantùm exteriùs, sed etiam interiùs? quot annos numeras tum vitæ, tum suscepti sacerdotii? crescentibus annis equidem creveris in scientiis humanis; an autem pariter creveris in exercitio virtutum supernaturalium, vehementer dubito: an forsitan etiam te tangit

illud

illud Isa. c. 95. effatum: *Senex, qui non implet dies suos, puer centum annorum.* Si horum de grege unus etiam tu fores, hodie adhuc manum seriò admove resarciendis detrimentis præteritæ vitæ, *redimentes tempus*, gressum, ac cursum accelerando instar viatoris, qui longiori quieti indulgens conspicit itineris socios multùm prægressos, diem declinare, advesperascere, noctem imminere, se tamen à termino, quem jam attigisse deberet, adhuc longè distare.

Multò deterius foret, si in virtutum studio & stadio non processisses, sed instar cancri retrocessisses. Fortassis circa initium suscepti sacerdotii longè majori fervore & devotione faciebas ad aram, recitabas preces canonicas, quæ nunc peragis tepidè, & obiter percurris ex arida consuetudine.

Via justorum similis est, ùt sacræ dicunt paginæ, luci matutinæ, quæ semper magis crescit, usque ad meridiem perfectum: *justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Prov. c. 4. Hoc incrementum non continetur intra limites unius, ejusdémque virtutis, sed se extendit etiam ad alias virtutes: *ibunt de virtute in virtutem.* Psal. 83. Nunquam satiantur, sed semper anhelant ad majus & clarius lumen gratiæ ac gloriæ: *Esuriunt & sitiunt justitiam:* e contrario via tepidorum similis est luci vespertinæ, quæ semper magis ac magis deficit, donec tota à nocturnis tenebris obscu-

retur,

retur, & a concubia nocte sepeliatur: *via impiorum tenebrosa, nesciunt, ubi corruant.* Prov. c.20. & pedetentim eò cæcitatis prolabuntur, ut ne quidem suos errores agnoscant, & pecca a pro peccatis non habeant; vel saltem inter levia » venialia numerent delicta, quæ reipsa gravia, & mortalia sunt.

Aperi oculos, si & tu inter istos retrogrados & errantes planetas numerareris; Christúmque roga per illud incrementum in assiduo virtutum omnium exercitio, quo nobis præivit, ut uberem largiatur gratiam ad premenda ipsius vestigia, & sequendum exemplum, in vita Christi privatâ expressum; roga, ut tibi det robur, ne unquam in via perfectionis Ecclesiasticæ defatigatus, cursum sistas, & succumbas, in qua juxta D. Bernardi effatum: *non proficere, est deficere; non progredi, est regredi.* Ep. 2.

3. Crevit Christus tam coram Deo, quàm coram hominibus, *apud Deum & homines*; per hoc innuitur, incrementum in virtutibus indies faciendum, his tribus dotibus præditum esse oportere 1. ut non tantùm hominibus crescere videaris in virtutibus, sed coram Deo reipsa crescas; aliàs virtutes tuæ non essent veræ ac solidæ virtutes, sed vana virtutum simulacra, phantasmata, & solennis hypocrisis: & hoc est, quod Christus prohibuit verbis illis apud S. Matthæum c. 6. *attendite, ne vestram justitiam faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.*

Malum

Malum non est, nec improbatur à Christo, facere justitiam, & exercere virtutum actus etiam *coram hominibus*; sed id solummodo: *ut videamini ab eis*, non alium nempe intendendo finem, quàm aucupandi auram popularem, laudem & æstimationem apud homines: & quid hoc aliud, quàm frustra fatigari, fumum captare, congregare divitias bonorum operum, eásque in saccum vel crumenam conjicere utrinque patulam & fundo carentem, juxta illud Aggæi c. 1. *Qui merces congregavit, misit eas in sacculum pertusum?* nam totus bonorum operum fructus evanescit, & deperditur; & ne quidem laus & æstimatio, quæ unicè quæritur, apud homines obtinetur; cùm certum sit, simulationem diu durare non posse, & mendacio facilè larvam detrahi. *Spes hypocritæ peribit.* Job. c. 2.

2. Non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus: & in hoc sensu accipienda sunt verba illa Christi Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.*

Si hæc necessariò observanda sunt omnibus Christianis, longè strictiùs observanda erunt hominibus Ecclesiasticis, qui aliis exemplo prælucere, & norma perfectionis Evangelicæ esse debent. *Forma facti gregis* 1. Petr. c. 5.

3. Sed primô locô, & ante omnia curandum est coram Deo, & postea primùm, ut etiam coram hominibus luceamus; nec enim attendendum est, quid homines dicant, modò placeamus Deo: omnibus hominibus placere nemo potest; sufficit proin, si vitæ nostræ tenor probetur Deo, & illis hominibus, qui verè homines sunt, nimirum sanæ rationis, & Christianæ prudentiæ ductum sequentes: soli Deo placere, parùm est, solis hominibus placere, vanum est, omnibus placere hominibus, impossibile est; veri Ecclesiastici officium & studium est, conjungere gloriam DEI, & salutem proximi, subinde nihili faciendo, quidquid alii levioris ac sinistri judicii, pravorúmque morum homines ogganniant, & opponant: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* ad Galat. c. 1.

In te ipsum jam oculos conjice; si deprehenderis, te non quæsivisse, ùt oportebat, in omnibus majorem Dei gloriam, vel te nimia sollicitudine quæsivisse placere hominibus, ac timuisse illis displicere, vel nimiùm te abripi permisisse certis respectibus humanis, cum detrimento Divini obsequii, dole, promitte emendationem, & Christum instanter roga, ut tibi gratiam & vires te emendandi concedat per illam sapientiam & gratiam, in qua coram Deo & hominibus crevit tempore suæ vitæ privatæ.

Pun-

Punctum secundum.

Considera, vitam Christi fuisse continuum obedientiæ exercitium: *& erat subditus illis.* Luc. 2. Hoc compendio declarat D. Lucas totam vitam, quam Christus privatim egit. Hæc obedientia fuit stupenda, si attendamus ad personam, quæ obedit, ad materiam, in qua obedit, ad modum quo obedit.

1. Ille, qui obediebat, erat Filius Patris æterni, ipsi æqualis si natura spectatur divina, & ideo superior illis quibus ultro se subjiciebat; nam Josepho subjectus non erat ullo jure, non enim verus Christi pater, sed putatitius tantùm erat, & quantumvis Maria esset vera ipsius mater, humanitas tamen Christi unita divinæ naturæ Verbi, & hac de causa super omnes reliquas creaturas elevata, erat exempta ab omni subjectione, & obedientia tam matri, quàm cuicunque alii domino, aut superiori creato præstanda; nihilominus Deus omnipotens, cui serviunt omnia, cui obediunt Throni, Dominationes, principatus ex angelicis Hierarchiis; cui subjiciuntur omnes Reges terræ, is seipsum subjicit cuivis, etiam minimo nutui Mariæ & Josephi, non semel, aut unâ & altera vice, sed millies & millies per triginta annos continuos, diu noctúque

indefessâ, & nunquam interruptâ, aut hiulcâ obedientiâ; quod satis denotant verba illa: *erat subditus.*

Attoniti hæremus, quando in libro Josue c. 10. legimus solem ipsum promptè obedivisse, & ad imperium ducis Israëlitici rapidum suum cursum die illâ decretoriâ stitisse, quod ipse sacer Codex non sine admiratione exprimit; *obediente Deo voci hominis*: cùm tamen hæc obedientia semel tantùm fuerit exhibita, & in negotio momenti maximi, videlicet, ut insignem victoriam populi Israëlitici contra Amorrhæos, infensissimos suos inimicos promoveret, & coronaret. Qualem & quantam proin oportebit nostram esse admirationem, si consideremus continuam tot annorum obedientiam promptissimam à Christo Mariæ matri suæ in rebus etiam levissimis exhibitam, quæ quamvis esset mater divina, & creaturarum omnium perfectissima, infinitè tamen inferior erat dignitate Divini sui filii!

Atque hæc gesta sunt ad confundendam & obtundendam nostram superbiam, qui licèt homunciones contemptibiles, fastu intolerabili audemus erigere cervices, jugum excutere, & debitam subjectionem denegare Deo, & Dei in terra vicariis, aliquid imperantibus. Roga JEsum, ut per suam stupendam subjectionem, humilémque obedientiam evertat abominabilem tuam superbiam, & arrogantiam, qua excæcatus, sæpiùs

piùs recusâsti obedire mandatis Dei, Ecclesiæ, & illorum, qui Dei & Ecclesiæ vices gerebant.

2. Objectum suæ obedientiæ erant res viles, & abjectæ, nimirum exercere artem fabri lignarii; hinc natus est sarcasmus ille Judæorum Matth. c. 13. & Marc. c. 6. *Nónne hic est faber, & fabri filius?* Nec nobis persuadeamus, has occupationes fuisse solùm leves, & ad fallendum tempus aptas, erant enim gravia potiùs, & corpus defatigantia ministeria, qualia sunt, dolare duros & nodosos asseres, conficere juga, aratra, ex quibus postmodum, quas non rarò attulit, desumpsit similitudines; utì cùm dixit: *tollite jugum meum. Nemo mittens manum suam ad aratrum.* Hæc erat opinio Justini Martyris Apologiam contra Tryphonem scribentis.

Nec credamus, Christum hos in se suscepisse labores recreationis, aut animum à gravioribus curis divertendi gratiâ, eo modo, quo etiam dictatores Romani nonnunquam terram proscindere consueverant *vomere laureato*; sed solùm animô parendi patri suo putatitio succollandi miseriis, & paupertati matris suæ, & ultro in se suscipiendi pœnam, primo Adamo prævaricatori inflictam: *in sudore vultûs tui vescêris pane.* Gen. c. 3.

Non levis nos capit admiratio, legentes, quòd Archangelus Raphaël, non solum-

modo ducem, ſed & famulum junioris Tobiæ agere voluerit; qualis ergo nos ſtupor obruat neceſſe eſt, ſi in mentem reducamus, non Angelum, vel Archangelum, ſed Angelorum, & totius univerſi dominum Joſepho & Mariæ in obſequiis longè vilioribus famulam locâſſe operam? quod DEI gloriam promovet, non eſt excellentia operis, ſed intentio, & obedientia operantis? quæ non eſt minoris pretii, quando opus injunctum non eſt ſplendidum, ſed obſcurum; quàm quando eſt illuſtre, & ſplendorem adjicit ipſi operanti.

Inter officia minùs ſplendida clericis injuncta numerari poſſunt, inſtructio parvulorum, ignorantium, rudium, bardorum in rudimentis fidei Catholicæ. An non hoc officium te, & ſublimem tuum characterem, ac ſtatum minimè decens deſpexiſti, ſubterfugiſti, cùm tamen Chriſtus JEſus in rebus longè inferioribus & vilioribus nunquam obedire recuſaverit? *Nunquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potiùs ut obediatur?* dicebat olim Samuel ad Saulem regem 1 Reg. c. 15. Nunquam opus aliquod, quamvis minimum, cenſendum aut dicendum eſt vile, quod propter Deum, & amore Dei peragitur; & peregêre ſedulò etiam Nuntii Apoſtolici, uti S. Xaverius; etiam Epiſcopi, uti S. Franciſcus Saleſius; etiam Cardinales, uti S. Carolus Borromæus.

3. Mo-

3. Modus obediendi erat. 1. ut promptè obediret, etiam in rebus arduis: hoc clarissimè demonstravit promptissimè obediendô divino Patri in re omnium difficillima, dum mortem ex ejus præcepto subiit, non minùs doloris, quàm ignominiæ plenissimam: *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* ad Philipp. c. 2.

2. Cum lætitia; dum semper ostendit summam se delectationem capere ex obedientia, & hujus exactâ observatione; hac de causa obedientiam suum vocabat cibum: *meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Joan. c. 4. Quasi eandem sentiret voluptatem in exercitio obedientiæ, quam sentit famelicus in comestione sapidissimi cibi.

3. Obedivit ex obedientia, id est, obedivit, ut obediret ex puro motivo obedientiæ, in quo propriè consistit virtus obedientiæ; illud exequi, quod imperatum est, non aliâ de causa, quàm quia imperatum est: exequi, quæ imperantur, tantummodo ideo, quia tuo genio arrident, non est actus obedientiæ, sed amoris proprii; exequi aliquid ob id ipsum, quia repugnat genio, iterum non est actus obedientiæ, sed mortificationis: Motivum formale, quod respicere debet obediens, aliud esse non potest, quàm quia superior ita jubet.

Considera, an tua, quam hactenus exhibuisti, obedientia his dotibus sit prædita;

quod facilè poteris deprehendere ex variis præceptis, quæ sunt observanda. Primum sit, quod Ecclesiasticum obstringit ad recitandas horas canonicas: an has recitas promptè & alacriter, debito tempore; vel differs usque ad tempus nocturnum, velut morosus debitor, qui differt solutionem ad extremum momentum, & quamdiu potest? 2. an has recitas cum gaudio, vel hoc ducis tibi oneri, & illos felices reputas, qui huic obligationi non subjacent?

3. An obedis animô satisfaciendi præcepto, vel ex arida consuetudine?

O quot præcepta implentur non majori fervore, quàm præcisè, ut peccatum evitetur, sine omni merito obedientiæ! hoc modo observantur jejunia, abstinetur à carnibus die Veneris, & Sabbati: transiguntur dies dominicales, & festorum ita, ut nec minima cogitatio subeat animum, per hæc satisfaciendi præcepto: *sobriè, justè & piè vivamus.* ad Tit. c. 2. Non sufficit, ut sis sobrius, justus, & pius; sed insuper requiritur, ut sis sobriè sobrius, justè justus, & piè pius.

Punctum tertium.

Considera vitam Christi semper fuisse falsis & sinistris mundi axiomatibus, & dogmatibus, juxta quæ tunc maximè vivebatur, è dia-

è diametro oppositam; & in illo hominum vivendi modo consistebat regnum sathanæ: hinc edixit suum regnum non esse institutum juxta idæam regnorum hujus mundi: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quod ipsum jam pridem prædixerat per suum Prophetam Isa. c. 55. *cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ.* Perpende modum, quo Christus se opposuit mundi dictaminibus falsis: cùm tu hunc modum, quo Christus usus est, ad proprium tuum, & aliorum pariter profectum in virtute, imitari debeas.

1. Duplex fuit modus, quo se Christus perversis mundi dictaminibus opposuit; verbis, & factis, & quidem priùs factis, & postea verbis: *cœpit JEsus facere, & docere.* Act. 1. Priùs *facere*, & postmodum *docere*: Vitæ privatæ proprium erat *facere*; ad vitam Christi publicam spectabat tempore Prædicationis *docere.* Incumbebat Christo docere & prædicare, beatos esse pauperes; beatos, qui sua distribuunt inter egenos, & largas eleemosynas dispensant, beatos, qui lugent, & deplorant peccata sua; beatos, qui cum omnibus pacem colunt; beatos, qui persecutionem patiuntur, & odio sunt hominibus hujus mundi. Antequam publicè & toti mundo doctrinam suis placitis, & dictaminibus altè imbibitis tam contrariam proponeret, hanc in seipso, & per seipsum in praxim deducere decrevit; hinc vitæ genus elegit paupertatis angustiis,

incommodis, adversitatibus, laboribus, doloribus, opprobriis, & contemptui subjectum.

De Herode se ad mortem quærente & persequente nullam sumpsit vindictam, quamvis facillimè potuisset: ut se hujus furori subtraheret, non usus est mediis plausibilibus, admiratione dignis, non deprompsit miracula, quæ in promptu habebat, sed omnium vilissimum, quod ignavi, & væcordes solent, arripuit, præcipitem, & longinquam fugam.

Poterat eligere vitam commodam, rebus necessariis omnibus abundanter, & ad delicias usque instructam; sed maluit ducere vitam molestam, servilibus ministeriis, & duris laboribus asperam, inter arctos fabrilis officinæ parietes conclusam. Poterat sibi deligere aulas regias, thronos, sceptra, coronas, & imperia, sed maluit vivere subditus, & obedire non solùm Mariæ, & Josepho, hominibus sanctis, & perfectis, verùm etiam iniquis, & impiis, nimirum Romanis Imperatoribus, idololatris, quibus solvebat tributa, parebat mandatis & edictis. En modum, quo Christus auspicari voluit conversionem totius mundi, quo etiam Apostoli Christi, Magistri sui Divini sequaces discipuli, ad eundem finem postmodum feliciter usi sunt.

2. Jam mentem collige, & attentè dispice, qualia sint hæc Christi exempla, qualis hæc Christi doctrina; dic & concludecum

cum D. Bernardo: *aut Christus fallitur, aut mundus errat.* Nequit autem Christus fallere, nequit falli, à Divino Patre nobis datus Magister: *Ipsum audite.* Matth. c. 17. missus in mundum, ùt ipsemet ait Joannis c. 18. *ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati.* Stetit Christo titulus & officium Magistri hujus doctrinæ non unico verbo *Fiat*, quo totus olim orbis productus est, sed mille incommodis, vilipensionibus, sudoribus, sanguinis usque ad ultimam guttulam effusione & ipsa morte. Ergóne tu dicere audebis, quòd Christus nos fallat, mundus verò nos vera & solida doceat?

Nec te conturbet magnus illorum numerus, qui fallacem mundum sequuntur; nec enim semper illa via est melior & tutior, quâ frequentiùs, & à pluribus itur, cùm non ignores, *multos esse vocatos, paucos verò electos*; Matth. c. 20. Scis viam, quæ ducit ad salutem, esse arctam & arduam: *arcta est via, quæ ducit ad vitam.* Matth. c. 7. Præferendum est etiam in rebus humanis judicium paucorum prudentûm & sapientûm, judicio & consilio plurimorum stultorum, quorum *infinitus est numerus*, Eccle. c. 1. Itaque hanc ignominiam nunquam inuras exemplis, quibus tibi Christus præluxit, & doctrinæ, quam tibi proposuit & explicavit, ut hanc practicè & ipso facto postponas, quod fortassis hactenus contigit, doctrinæ & exemplis mundi deceptoris, & mendacis.

3. Ho-

3. Homini Ecclesiastico, qui non solùm propriæ, sed etiam alienæ, saluti invigilare debet, longè magis, quàm omnibus aliis incumbit, ut exemplum Christi præ oculis habeat, & imitetur, verbis & factis se opponendo, & contrarium demonstrando perniciosis mundi principiis, & placitis, aliàs una manu extruet, & alterâ destruet; *quisfecerit, & docuerit hic magnus vocabitur.* Matth. c. 5. D. Dionysius exigit, ut sacerdotes sint, *sacri & sacrantes, perfecti, & perficientes, illuminati, & illuminantes.*

Si apud te mundi dogmata, & dictamina adhuc in æstimatione aliqua sunt, nunquam imprimes aliis verum ac perfectum mundi contemptum, adhortationes tuæ similes tormentis bellicis copioso pulvere pyrio fartis, sed nullo immisso globo, quæ fragorem quidem ingentem excitant, sed nullum feriunt. Pauli methodus tenenda est, qui de seipso ita scribere potuit ad Corinthios c. 2. *Sermo meus non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs.* Si tu ipse vitio avaritiæ irretitus es, quomodo persuadebis aliis divitiarum contemptum, & ne his etiam, quando affluunt, cor non apponant? si tui honoris tam appetens, propriæ existimationis & reputationis tam tenax es, ut vel minimam hujus læsionem ferro & igne ulcisci cupias, quomodo permovebis alios, ut contemptus, & palmares injurias sine nausea deglutiant, &

tacito

tacito stomacho concoquant, *nemo dat, quod non habet: qui non ardet, non accendit.* S. Gregorius.

Veniam nunc pete à Deo, si & tu de tribu illorum fores, qui factis & exemplo evertunt, quod verbis extruxerant; & Christo sanctè promitte, te semper contrarium fore mundi canonibus, & dictaminibus, exemplo imprimis, & imitatione Christi, deinde etiam verbis, instruendo, concionando &c. Finem imponat toti meditationi ad implorandum Divinum auxilium sequens oratio:

Deus, qui generi humano Filium tuum unigenitum Doctorem vitæ tribuisti; da nobis quæsumus, & quæ docuit, intellectu conspicere, & quæ egit, imitatione complere; Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum &c.

Dies octava.

Meditatio decima quinta.

De Christi prædicatione, & vita publica.

PEractâ solitâ oratione præparatoriâ formabis tibi sequentia duo præludia.

Pri-

Primum esto, ut tibi imagineris te videre Christum peditem circumcursare civitates, oppida, villas, castella, casas Judææ prædicando, & divulgando doctrinam Evangelicam, instruendo & docendo populos, præcipuè suos Apostolos, ut eos in totius mundi Magistros efformaret: concurrere turbas undique suavitate verborum, & Divinâ ejus eloquentia & multitudine ac magnitudine miraculorum attractas.

In secundo præludio rogabis Deum, ut in corde tuo accendat ardentem zelum animarum, & alienæ salutis: quem in finem hoc vel simili modo Deum alloquere: *zelus domus tuæ comedat me, & opprobria exprobrantium tibi cadant super me.* Ps. 68. vel ita: *Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.* Ps. 113. Et hæ pariter sint orationes jaculatoriæ hoc tempore matutino.

Meditatio in hæc tria puncta dividatur. 1. Quis finis; 2. quæ media. 3. quis fructus fuerit prædicationis Evangelicæ à Christo susceptæ.

Punctum primum.

Considera, Christum toto triennio, quo suam promulgavit Evangelium non alium habuisse finem, nil spectasse aliud, quàm majorem Dei gloriam, & salutem animarum; simúlque teipsum in quæstionem voca, & exami-

examina, an & tu in tuis functionibus Ecclesiasticis omnibus unicè spectes, & quæras Dei gloriam, & salutem proximi, cùm in hoc officio, sis & Christi successor.

1. Christus in doctrinæ suæ Evangelicæ promulgatione quærebat non suam, sed æterni Patris sui gloriam, & omnem, qui Humanitati suæ exhibebatur, honorem ad ejus referebat gloriam, à quo missus fuerat: ita de seipso testatur: *Non quæro gloriam meam, sed ejus, qui misit me.* Joan. c. 8. Itaque non venabatur in suis concionibus auditorum vanos applausus, laudes, admirationes, mercedem, promotiones ad sublimiores gradus, licèt reipsa vel maximè mereretur extolli laudibus, affici summis honoribus, excipi justis plausibus, & remunerationibus: Hæc, & his majora merebatur tum ob dotes naturales suæ Humanitatis, tum & longè magis ob ejus dotes supernaturales, quibus summam adjungebat dignitatem, & pretium persona Verbi hypostaticè unita naturæ humanæ, causa & origo unica, ob quam omnes ejus operationes erant & dicebantur verè theandricæ.

Suavis & amabilis cum hominibus agendi modus Christi, amor, & cordis teneritudo, qua peccatores in gratiam rursus admittebat, beneficia, quibus omnes passim etiam miraculis in subsidium vocatis cumulabat, quacunque transiret, *pertransiit benefaciendo, & sanando* Act. c. 10. Sinceritas, & rectitudo cordis,

cordis, quam in omnibus suis actionibus demonstrabat, illud elogium omnibus expressit: *benè omnia fecit.* Marc. 7. poterant hæc facilè Christo tantum laudis & gloriæ apud homines parere, quantum ambitiosissimus quisque ne quidem desiderare; ne dicam sperare poterat: Verùm ille omnis hujusmodi gloriæ incurius, quin & contemptor, unicè curabat gloriam æterni sui Patris, sibi reservans contemptum, derisiones, labores, dolores, mortem ipsam. An nunc tibi non videtur Christus ùt homo, exactè adimplesse omnes partes fidelis, & unicè commodo, & honori, sui domini nullatenus autem suo proprio invigilantis servi?

Quando à dæmone supra pinnaculum templi elevatus, ita se compellari audivit: *Si filius Dei es, mitte, te deorsum.* Matth. c. 4. tentatio fuit ad aucupandam vanam gloriam, ùt observat S. Cyprianus Episcopus: *putabat malignus, quem gulâ non vicerat, vanâ gloriâ superare.* Sed non permisit se hoc fatuo vanæ gloriæ splendore deludi; nam pro scopo & fine suo non habebat suam propriam, sed Divini Patris sui gloriam: *Non quæro gloriam meam, sed ejus, qui misit me.* Joan. c. 8.

2. Alter, & primo subordinatus finis, qui Christum ad prædicandum Evangelium impellebat, erat salus animarum. Sic nos sacer codex non semel, sed sæpiùs monet: *venit Filius hominis quærere, & salvum facere,*

quod

quod perierat Luc. c. 19. *Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* 1. ad Tim. c. 9. Nunquid in suo prædicationis officio unquam temporale aliquod lucrum, vel se, & suos, quantumvìs egenos, ditare, aut exaltare quæsivit? & quamvìs aliquas eleemosynas à piis hominibus vel peteret, vel ultrò oblatas admitteret ad sustentandam vitam necessarias; quamvìs quandoque ad convivia, ad nuptias invitatus compareret; quamvìs commoraretur quandoque in domibus Zachæi, & Magdalenæ jam ad frugem reductæ; non tamen hæc spectabat, aut quærebat ùt finem, ne quidem ùt causam impulsivam, aut stimulum aliquem suæ Evangelicæ prædicationis.

Quod unicè spectabat, & quærebat erat salus animarum, præcipuè animarum peccatricum, & præ aliis ope medici indigentium, quamvìs non mererentur ea charitatis & misericordiæ officia; quæ ipsis benignissimè exhibebat: nec dedignabatur cum ejusmodi peccatoribus agere, quamvìs sui essent inimici, quamvìs creare ipsi possent nauseam & horrorem, aliqui propter fœtentes ac pestilentes corporis, alii autem longè magìs propter purulentas animi plagas, & lethales infirmitates: nec alia opus erat causa, aut invitatione, ut accurreret, quàm ut ipsi innotesceret, ejusmodi ægrotos opus habere ejus manu medica, nempe ut eos instrue-

ret, dirigeret, & in securam salutis viam deduceret.

3. Jam te ad strictum examen voca, & à temetipso exquire, an Dei gloria, & salus hominum sint unicus finis, propter quem omnia onera statui Ecclesiastico annexa libenter portas, & munia exequeris, qualia sunt ad aram sacrificium incruentum offerre, confessiones excipere, rudes & ignorantes instruere, sana suppeditare consilia dubitantibus, assistere moribundis, & alia his similia.

Non utique in censum illorum venis, qui per hæc sacra ministeria, & obsequia quærunt gloriam propriam, quos D. Gregorius L. 17. Mor. c. 17. vocat adulteros Ministerii Ecclesiastici, dum explicat illa verba Apostoli 2. ad Cor. c. 17. *Plurimi adulterantes Verbum Dei.* Maritus legitimus prolis legitimæ generationem quærit & intendit; adulter quærit solùm turpem delectationem, & bellubnam voluptatem. Verus & genuinus Ecclesiasticus conatur procreare filios spirituales legitimos, qui promoveant divinam gloriam, juxta Apostoli descriptionem 2. ad Cor. c. 4. *In Christo JEsu per Evangelium ego vos genui.* Sed Ecclesiasticus ambitiosus in suis ministeriis, & functionibus sacris non aliud quærit, quàm vanam illam delectationem, quam capit ex hominum laudibus, & plausibus, quapropter ab Ascetis, & sanctis Patribus

tribus jure merito vana gloria vocatur luxuria spiritualis.

Novam aliam malitiam in ejusmodi ambitiosis Ecclesiasticis detegit S. Augustinus, dum illos vocat latrones & sicarios divini honoris. In sacris istis ministeriis duo consideranda veniunt. Primum est ex his profluens utilitas sive meritum; alterum est splendor honoris ac gloriæ. Primum Deus cedit nobis, alterum sibi vendicat: *Soli Deo honor, & gloria.* 2. ad Tim. c. 2. Sed homo Ecclesiasticus inanem vanæ gloriæ & propriæ æstimationis fumum patulo captans rictu primum, id est, meritum amittit, & secundum, id est honorem ac gloriam Deo suffuratur.

Contra hos Ecclesiasticos, qui non Dei gloriam, & animarum salutem, sed se, & sua duntaxat quærunt, videtur Christus justas illas querelas effudisse: *fur non venit, nisi ut furetur . . . Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Joan. c. 12.

Memineris, thesaurum, qui tibi ad dispensandum creditus est, non tuum, sed Dei thesaurum esse; Deum esse hujus Dominum, & præcipuum dispensatorem, te vero purum & inutile instrumentum: væ si in tuam hunc convertas, & impendas gloriam, quem ad solam Dei gloriam promovendam expendere oportebat: *Væ, si convertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperunt; paveant, quod in Propheta Osea c. 2. legitur: dedi ei argentum,*

tum, multiplicavi ei & aurum, quo fecerunt Baal. Bern. Ser. 45. *super Cant.* Si unquam in altari cordis tui idolum vanitatis, & gloriæ inanis erexisses, dejice, & frustatim illud comminue, & frustillorum collectorum cumulo hanc inscribe Epigraphen: *non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.* Psalm 113.

4. Si tuis Ministeriis & functionibus spiritualibus non animarum utilitatem, sed temporalia lucra & commoda pro fine præfixisses, longè adhuc vituperatione dignior fores, cùm res sacras rebus vilissimis, & rebus terrenis longè inferioris conditionis servire cogeres, atque ad has obtinendas illis pro scala, quam pedibus calcamus, utereris.

Ex horum numero & tu non postremus fores, si Missas celebrares potissimùm stipendii lucro attractus, si divitum ac nobilium solummodo confessiones excipere, nec aliis quàm istis ægrotis ac moribundis assistere velles, pauperibus autem tam necessariam opem, & consolationem subtraheres, ac denegares etiam impensè rogantibus, præsertim hac de causa, quòd ab illis remunerationem non levem; ab his autem exiguam vel nullam sperare possis pro hujusmodi laboribus, & piis obsequiis; si cura tua maxima vel unica foret, per reditus Ecclesiasticos, & co-rasas his industriis pecunias ditare, ad altiores dignitatum & nobilitatis gradus pro-

promovere tuos, ac tuam Familiam impinguare nepotes.

Non huc ducunt nobis à Christo relicta vestigia, & exempla. Christus vocatus, ut sanaret filium Reguli, non comparuit in ejus palatio, ùt acutè observat S. Ambrosius, *Ne in Reguli filio videretur magis divitiis detulisse. L. 5. super Luc.* E contrario ultro se obtulit ad invisendum, & sanandum centurionis servum pauperculum, ne videretur id incommodi recusare, in se suscipere, ex vilipendio pauperis ægroti. Non minoris pretii est anima pauperis, & plebei, quàm sit anima nobilis, ac divitis: ambæ redemptæ fuerunt pretio infinitô divini sanguinis; unde oportet te parem utriusque curam habere, pari promptitudine tam uni quàm alteri succurrere; ausim dicere, etiam promptiùs & intensiore solicitudine te adesse oportere pauperibus & rudioribus, quàm divitibus & cultioribus, cùm Christi imago ex his clariùs eluceat, *qui cùm dives esset, propter nos egenus factus est.* 2. Cor. c. 8. major etiam necessitas hos quàm illos premat, atque adeo etiam magìs auxilio quam illi indigeant. Dum pauperibus operam impendis, minus periculi, ne operam perdas, invenies, & uberem fructum cum liquido solatio referes. Pauperes erant, qui avidiùs Christi conciones, & sermones excipiebant, & fructum centesimum reddebant, quod ipsemet Joanni

Baptistæ jussit indicari: *Pauperes evangelizantur.* Matth. c. 11.

Illis præ aliis, quibus cura animarum demandata est, incumbit, ut hanc normam cautè observent, ne scandalizentur eorum subditi, potissimam partem plebei: si & tibi animarum cura ex officio demandata est, examina, & disquire conscientiam tuam, an non defectum aliquem in hoc puncto hactenus admiseris: dole, confundere, seriò propone, quòd imposterùm æquè promptè, vel etiam promptiùs accurrere velis ad sublevandos & juvandos pauperes, quàm divites; cùm eandem causam, quæ te utì genuinum Ecclesiasticum moveat ad opem ferendam, divitibus & opulentis, non minùs invenias in pauperibus, & omni auxilio destitutis; atque ita cum Apostolo verè dicere poteris: *non quæro, quæ vestra sunt, sed vos.* 2. ad Cor. c. 12.

Punctum secundum.

Considera media, quibus usus est Christus ad obtinendum felicem susceptæ prædicationis Evangelicæ scopum, videlicet, ad procurandam & promovendam Dei gloriam, & animarum salutem. Erant hæc media duplicis generis: primum erat, ut ipsemet multa ageret, & plura pateretur: secundum, ut socios sibi eligeret, & asciscceret, qui sibi in de-

defessam jungerent operam in spargendo semine Verbi divini.

1. Poterat Christus uti sua omnipotentiâ ad convertendos peccatores, & mundum, quem unico verbo *Fiat*, fecerat, etiam pari facilitate reficere, & reformare: sed noluit hunc adhibere modum, maluit ad hoc consequendum longe aliis uti modis & mediis, videlicet suis laboribus, sudoribus, itineribus, excursionibus, defatigationibus, vigiliis, jejuniis, precibus, fame, siti, aliisque innumeris incommodis heroicâ patientiâ toleratis, non aliam ab hominibus compensationem vicissim recipiendo, quàm contemptum, injurias, contumelias, calumnias, opprobria, invidias, ingratitudines, persecutiones, proditiones, traditiones. Hac arte uti voluit, ad demonstrandam excellentiam, & eminentiam operis à se suscepti, dilatandi, & promovendi gloriam Dei, & animas cœlo asserendi; ad quod obtinendum recte & merito expensos credidit omnes suos labores & dolores, & quidquid adversitatum, ac molestiarum toleratum est.

Percurre animo partem vitæ à Christo inter nos actæ, in quâ adversorum tolerantia, & invictâ patientiâ satis demonstravit, quanti faceret, & quantum cordi haberet gloriam Patris sui Divini, & salutem animarum: pedem figere poteris in illis accuratiùs perpendendis, quæ in conversione

mulieris Samaritanæ gesta sunt. Iter prosequebatur pedes Christus sub ipsum meridiem, quo tempore sol igneis suis radiis viatores vehementiùs adurere & defatigare solet; appulit tandem fessus, largo sudore diffluens, famelicus, & sitibundus ad puteum Sichar, præveniens, & expectans adventum Samaritanæ mulierculæ vilis, abjectæ & pauperculæ, cùm ipsamet ad hauriendam & humeris suis asportandam aquam ex urbe ad fontem Sichar excurrere cogeretur.

Quid ais ad hoc spectaculum? an non credis, quòd Christus hoc exemplo tibi clarè ob oculos ponere, & demonstrare voluerit, quanti momenti & pretii sit vel unam unicam animam Deo lucrari. Et tu exhorresces & contremisces ad minimam molestiam, & difficultatem, quæ superanda erit, ut divinam gloriam promoveas, & periclitantem proximi salutem procures?

Exhauriendæ erunt longè majores molestiæ, superandæ longè graviores difficultates pro re nullius vel exigui momenti, pro lucello aliquo temporali, pro obtinendo beneficio pinguiori, ut in concursu aliis æmulis præferaris, & palmam præripias, pro aliis vanitatum vanitatibus, titulis &c. Propter hos fines integras noctes duces insomnes inter studia; libris impallesces, cerebrum exsiccabis, & plures chartarum scapos

pos volanti calamo effusis characteribus obseres, & perarabis, hilari fronte, pacato animo, etiam cum gaudio: è contrario quando agitur de anima Deo aquirenda, cum nausea recusabis, & vix adduci te sines, ut pœnitentis confessionem paulò longiorem excipias; expectabit, & rogabit te peccator, ut patientes ei aures præbeas, & paterno consilio succurras in suis dubiis, & animi perplexitatibus, è quibus seipsum extricare non potest; & hunc tu indignabunda voce allatrabis, & abiges, vel caperatâ fronte, ut quæ habet exponenda, deproperet, imperabis: tantum fervoris & zeli non habebis, ut vel unicam noctem, vel majorem hujus partem vigil traducas, & moribundo, cui anima jam in supremis labiis natat, assistas; nimis grave & arduum tibi videbitur, diebus Dominicis & Festis adire templum, vel extra pomæria excurrere ad instruendos rudes, præsertim juventutem elementis fidei Catholicæ, & ad salutem scitu necessariis. Nulli Christus pepercit labori, ut tuam lucraretur animam, & tu tum anxiè tuis invigilas commodis, tam timidè horres & fugis etiam minima incommoda, cùm alienas animas Deo lucrari, & adducere deberes.

Disquire jam, quænam sint illæ difficultates, quæ tibi supportandæ & perrumpendæ forent pro salute proximi, & animarum tibi concreditarum, quas tamen suasore

amore proprio, tam studiosè subterfugis, & declinas, cùm tamen te generosè vincere, & his imperterritè etiam obviare deberes, quando vides, id cessurum ad gloriæ divinæ incrementum, & ad proximi adjumentum. Statue igitur firmissimè ingruentibus difficultatibus etiam occurrere impavidè, & cum Paulo dicere: *Ego me libentissimè impendam, & superimpendam pro animabus.* 2. ad Cor. c. 12.

2. Noluit Christus sibi soli reservare splendidum, & nobilissimum officium lucrandi, & salvandi animas, sed tanti honoris participes ac socios esse voluit imprimis duodecim Apostolos, subinde etiam septuaginta duos discipulos, qui sibi sociam & subsidiariam jungerent operam in hac sacra expeditione. In hac sociorum electione Redemptor noster præposuit ad tantum opus inhabiles illis, qui habiliores videri poterant, nam majorem horum partem conficiebant crudi, rudes, & ignorantes piscatores, ut toti mundo pateret, propagationem fidei Catholicæ non humanis viribus, & artibus, sed solius Dei adscribendam esse virtuti. Verùm cùm Deus nunquam imponat onus, quin simul compartiatur vires ferendo oneri sufficientes, nec officium demandet, quin & dotes ad hoc ritè fungendum necessarias adjungat, hinc & discipulis suis contulit capacitatem, & habilitatem ad perficiendum tam grande, &

arduum

arduum opus necessariam. Acceperunt potestatem pellendi morbos, & omnis generis infirmitates per donum miraculorum, & ipsa etiam dæmonia tam à corporibus, quàm ab ipsa etiam anima per dona Spiritûs sancti die Pentecostes totâ plenitudine ipsis infusa.

Hìc tantisper gressum siste, & examina, qui & quales sint illi, quos tu tibi socios, & adjutores assumas in tuis ministeriis, & functionibus Ecclesiasticis peragendis, quales Vicarios, quales Sacellanos, quales Curatos. Si tu ea polleres virtute, qua Christus, ut una cum officio concedere posses etiam habilitatem, & dotes ad id necessarias, quæ alioquin desunt, posses & tu ad ejusmodi munia eligere ineptos, siquidem per ipsam electionem eos faceres ad illa aptissimos. Sed quia cares ejusmodi potestate, ac virtute, cave ne unquam ad officium eleves, quos priùs non deprehenderis aptos, & ferendo oneri pares, ne sub hoc cum sua & aliorum ruina concidant; nullis te precibus, aut commendatitiis litteris etiam Procerum, Magnatum, consanguineorum, ne dicam promissionibus, vel Candidati talis blanditiis, suavi indole ad tuum genium facta persuaderi te sinas, ut ullum unquam ad munus Ecclesiasticum admittas, vel assumas, ad quod aptus non est. Constantem ac fortem te virum in hoc te demonstres necesse est, qui nec precibus, nec commen-

mendationibus cedat, nec ineptè commendantibus repullam dare formidet.

Si in negotio tanto unquam defectum aliquem admisisses, defle, & emenda illum quàmprimùm fieri poterit. Conscientiæ tibi duceres, & meritò, si homini graviter ægrotanti medicum constituisses, vel misisses imperitum, & in arte sua malè versatum; & nullo mordeberis scrupulo, si gravissimis spiritualibus animæ morbis laborantibus medicum mittas, & constituas ineptum, & ad jugulandas, perdendásque animas, & quidem æternùm, aptiorem, quàm ad sanandas & salvandas. Diutiùs & minutiùs hunc bolum rumina, & mastica, cùm reverà sit maximi momenti.

Multa monita, & praxes præscripsit Christus suis Apostolis & horum successoribus in munere & arte animas Christo lucrandi observandas: has legere fas est apud S. Matthæum c. 10. ex his tamen duntaxat primum, & ultimum considerandum propono. Primum ita habet: *gratis accepistis, gratis date.* Si hoc monitum non observes, fructum exiguum à tuo proximo, à tuis oviculis referes. Nihil magis offendit animos sæcularium, quàm si advertant, homines Ecclesiasticos longè ardentiùs inhiare suæ crumenæ, quàm animarum lucris, diligentiùs curare temporalia, quàm spiritualia. Quomodo tu persuadebis aliis, ut omnem affectum à caducis & transitoriis bonis avul-

sum

ſum transferant ad bona æterna, ſi teipſum ita pecuniis & lucris temporalibus affixum videant, ut nec pedem ſuſtollas è terrâ, & greſſum facias ad adimplenda ea, quæ officii tui ratio, & obligatio à te exigit, niſi mercedis, & lucri certa ſpes te animet, & excitet.

Hoc omnium optimè advertit S. Patriarcha Ignatius, unde ſuis filiis ad ſalutem animarum procurandam educatis ſeverè prohibuit, ne quid ſtipendii, vel mercedis admittant pro miſſis, concionibus, Sacramentorum adminiſtratione, inſtructione in ſcholis, pro ſepultura mortuorum, in ſuæ Societatis templis.

Figat avaritia ſedem in officinis, in tabernis, in fornicibus mercatorum, in tentoriis militum, in curiis prophanis, ſed nunquam nidificare ſinatur in ſacra ſacerdotum byſſo, vel purpura, in thiaris & infulis, in templis, vel altaribus, in ſacris dicaſteriis, & conſiſtoriis, aliàs fructus ſperetur nullus ex concionibus, adhortationibus, & quibuscunque aliis Eccleſiaſticis laboribus & obſequiis. Dies non abit, qua non verſiculum illum repetas Pſalmi 118. *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam*: Recita illum nunc, & deinceps ſemper ſeriò, ex corde, cum proteſtatione coram Deo, quòd aliam mercedem pro tuis laboribus non quæras, non cupias, quam ipſum Deum:

um: *Portio mea Domine, pars mea Deus in æternum.* Psal. 72.

Hinc progredere ad considerandum alterum monitum à Christo Apostolis relictum, & præscriptum, nempe dum alios salvare volunt, ne perdant seipsos; quid enim juvaret si Deo totum mundum subjicerent, & lucrarentur, interim propriæ animæ jacturam facerent: *Quid prodest homini, si mundum uniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. c. 16. Charitas ordinata incipit à seipsa.

Exemplum sume à Christo, qui, licèt non indigeret ulla cultura, vel præparatione animi, tamen ad nostram doctrinam, & directionem nunc ad 40. dies se ab aliis negotiis abstrahebat, & recipiebat in desertum, nunc tempore diurno in templum, nunc tempore nocturno in solitudines ad orandum. Prima semper cura est, ut tibimetipsi invigiles, deinde aliis, ne & tu de teipso dicere, & fateri cogaris: *posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi.* Cant. c. 1.

Miserum te! si revera talis esses custos, fores enimverò, ut Nicolaus Pontifex optimè dicit, similis faci aut cereo, qui aliis lucendo, seipsum absumit; *cerea fax accensa, quæ sibi detrimentum præstat, aliis lumen in tenebris administrat. c. sciscitantib. 15. q. 8.* Esto concha ad fontem, ait S. Bernardus Serm. 78. in Cant. non canalis, qui tantum aquæ

trans-

transfundit, quantum accipit, & sibi nihil reservat, aut vix guttulas aliquas. Tu suades, & persuades aliis devotionem, mansuetudinem, humilitatem, patientiam; & quantum tu tibi retines de omnibus his virtutibus? quàm parum, imò nihil. Altùm menti tuæ imprime, & pro fundamento pone hominis Ecclesiastici dictum illud Apostoli ad Hebr. c. 2 *Abundantiùs oportet nos observare ea, quæ audivimus, ne fortè supere fluamus.*

Punctum tertium.

Considera, Christum ipsum ex suis concionibus sæpè nullum retulisse fructum; hinc conclude, tibi quoque hac de causa ab officio concionandi non desistendum, vel animarum curam relinquendam, quamvis advertas te littori loqui, & in sterili seminare arena.

1 Animadverte cum S. Augustino *l. 1. contra Crese. c. 8.* Christum sæpius egisse cum Pharisæis, Saducæis & Judæis de rebus ipsorum salutem concernentibus: nunc eos interrogabat, ut eos propriis suis responsionibus convinceret, nunc eorum respondebat interrogationibus, quamvis has potiùs ad se tentandum, & capiendum in sermonibus non ignoraret, & prævideret, omnes suos conatus frustraneos futuros legimus quidem in Evangelio, Christum sermonem

fecisse

fecisse tam in templo, quàm extra templum, in plateis, in privatis domibus, ad mensas, non tamen legimus, semper suos auditores ad frugem fuisse conversos. Imò si verum fateri velimus, sicut Christus Apostolis suis potestatem concessit patrandi miracula majora, quàm ipsemet patravit, ita legimus ab Apostolis & horum successoribus pluries & plures ex infidelibus & peccatoribus ad veram fidem adductos fuisse quàm ab ipsomet Christo: ita nos docere, & hanc doctrinam fixè inculcare voluit suis operariis, nunquam desistendum à laboribus Apostolicis, etiamsi nullus, vel exiguus fructus illis respondeat.

2. Hinc nunquam manum ab aratro retrahe, ex tædio, quòd omnes labores & sudores in aërem jactatos, & in vanum sparsos credas: crede potiùs, non carere fructu monita illa, documenta illa peccatoribus data, vel in concionibus proposita; quamvis fructus non statim appareat.

Fructus, qui ex hac semente nascitur, triplex est. Primus Deum concernit: nam hinc novus splendor gloriæ & laudis accrescit non minùs misericordiæ, quàm justitiæ divinæ: Misericordiæ quidem, nam sicut splendorem alicujus civitatis auget multitudo fontium, qui uberrimam, & limpidissimam aquam omnibus promiscuè propinant, etiamsi pauci sint, qui illam hauriant, ita munificentia divinæ misericordiæ exigit, ut copiosam

piosam ubique effundat aquam doctrinæ Evangelicæ, quamvis hujus pars maxima diffluat, illorum vitiô, qui hunc saluberrimum laticem haurire negligunt.

Justitiam verò magis illustrat hæc Dei liberalitas, cùm illam justificabit, & ab omnis injustitiæ macula purgabit in extremi die judicii; *ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cùm judicaberis.* Psalm. 50. Tunc enim reprobis judex ad oculum demonstrare poterit, nullam ipsis justam suffragari causam, qua perditionem suam excusare possint, cùm non defuerint unquam, aut uspiam, qui illos etiam quando cœco impetu pertinaces in interitum ruebant, admonebant, dehortabantur, & viribus omnibus nequicquam retrahere conabantur: & tibi parum videbitur, quando ita Dei misericordiam amplificare, divinæ justitiæ partes tam strenuè agere, & hujus causam coram universo mundo tam gloriosè evincere poteris?

Secundus fructus proximum spectat: nam etsi nunc statim ex jacto semine Evangelico speratum fructum progerminare, non videas; fors illum paulò post longè uberiorem videbis: an Agricolarum ullus est super terram, qui ex semine agris, ac terræ etiam fertilissimæ sulcis injecto statim videat, aut expectet protuberare culmos, & maturis granis curvescentes spicas? videbit tamen hæc omnia suo tempore. Dolor vulneris non statim sentitur post ictum. Saltem aliquoties,

vel aliquandiu auditores tui post tuam adhortationem cessabunt à peccatis: & quanti meriti non est, vel unum duntaxat peccatum grave impedivisse? an non omnis labor bene impensus judicandus, si etiam hoc unum obtineatur? Nec ideo desistitur ab exhaurienda è navi sentina, quia post exhaustam denuo nova in navem penetrabit aqua.

Tertius fructus in teipsum redundat, si enim aliis non prosunt tui labores, prosunt tibi, faciunt, ut tuo fungaris officio, ut obligationi tuæ satisfacias, ut meritum colligas, non exigitur à te, ut peccata tollas, & impedias, sed ut sedulo adnitaris, & media, ac remedia subministres ad tollenda, & impedienda peccata: *curam exigeris, non curationem* dixit Bernardus ad Papam Eugenium *l. 4. de consid.* Non es *Curatus* animarum, ut illas cures ac sanes, sed ut curam earum geras sedulam: *Rectorem te posuerunt; curam illorum habe.* Eccli. c. 32. Merces, quam semel recipies non commensurabitur fructui, quem retulisti, sed labori, quem impendisti: *unusquisque mercedem accipiet secundùm suum laborem.* 1. Cor. c. 3. Ob alienam pertinaciam in peccato, nihil tibi de merito, & mercede decedere potest, quin ob hoc ipsum magis augebitur utrumque, nam labor tuus indefessus, conjunctus cum justo cordis dolore, quo plangis inflexibilem proximi duritiem, auget perfectionem talis operis,

atque

atque adeo etiam meritum ac præmium, sicut longè majoris meriti ac pretii est oratio inter ariditatum spinas, quam inter spiritualium consolationum rosas peracta.

Itaque generosos resume spiritus, & teipsum anima ad sudandum & laborandum pro Deo, & animarum salute, quemcunque tandem exitum sortituri sint tui labores ac sudores.

Protege nos Domine tuis mysteriis servientes, ut divinis rebus inhærentes, & corpore tibi famulemur, & mente. Per Christum &c.

Dies octava.

Meditatio decima sexta.

De agonia Christi in horto Gethsemani.

PEractâ oratione præparatoriâ præmittes meditationi sequentia duo præludia.

1. Pone tibi ob oculos Christum in horto Gethsemani tristitiâ profundâ oppressum toto corpore madere sanguineo sudore; ex altera verò parte imaginare tibi interea

adventantem, & Juda duce Christo imminentem hostium turmam, Christum verò obviam ire perfido traditori, eúmque suavissimè amplecti, & osculari: reliquos discipulos, ubi magistrum suum viderunt ab hostibus captum, panico timore perculsos, turpem fugam arripere omnes, fœdè in hostium manibus derelicto JEsu.

2. Gratiam tibi à Christo exora, ut lateri ejus constanter hærere, cum ipso pati & mori possis ac velis, nec eò ignaviæ ac perfidiæ unquam devenias, ut Christum cum Juda prodere ac tradere, aut eum cum reliquis discipulis turpiter deserere nequidem cogites: itaque Christum, magistrum, & ducem tuum ita alloquere: *donec deficiam, non recedam à te.* Job. c. 25. aut cum Jeremia c. 17. *Omnes qui te derelinquunt, confundentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.* vel illud Matth. c. 26. *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.*

Meditatio dividetur in hæc tria puncta. Primum erit JEsus in horto afflictus. 2. JEsus in horto proditus. 3. JEsus in horto derelictus.

Punctum primum.

Considera causas extremæ, quam Christus in horto passus est, tristitiæ; erant autem istæ: atrocissima passio, quæ toleranda

randa erat, causa suæ passionis, & effectus suæ passionis.

1. Prima igitur causa tantæ tristitiæ erat passio sua imminens. Tribunalia etiam rigidissima reis obvelant oculos, ne conspiciant secures, vel gladios, quibus obtruncandi sunt, ne tetras vicinæ mortis imagines altiùs menti, ac phantasiæ imprimant. Tyrannidis argueretur crudelis ille judex, qui cogeret reum pensiculatè considerare & contueri omnes supplicii ultimi paulò pòst subeundi partes, instrumenta, & circumstantias.

Christus, quamvìs innocentissimus, & ipsa innocentia, noluit secum ipso uti hac legum discretione, & mansuetudine. Primum ex omnibus suis tormentis esse voluit, minutim, & membratim perpendere omnia tormenta, quibus afficiendus erat, ut priùs in anima interiùs horrorem tormentorum sentiret omnium, quàm exteriùs in corpore: & hoc fuit inter tormenta omnia unum ex maximis, nam partem hominis tenerrimam torquebat, nempe *cor*, ad quod nullum hostium tormentum exterius, quamvìs sævissimum unquam penetravit, dum Christus viveret, sed post mortem tantùm, quando dolorem vulneris non amplius sentire poterat: Christus ipse erat sui ipsius tortor &, ut ita dicam, crudelis carnifex, qui potentia, & sapientia sua infinita utebatur ad augendam pœnam, & atrocitatem supplicii:

opprimebat cor Christi toto ac immenso pondere tot moles in unum cumulum congestorum tormentorum, suppliciorum, pœnarum, dolorum, & cruciatuum omnium cervici jam impendentium: obversabantur animo proditiones amicorum, conjurationes inimicorum, condemnationes ante tribunalia, transfugia discipulorum, insultus, & irrisiones populi, carceres, catenæ, flagella, spinæ, clavi, crux ipsa: vivacissimè hæc omnia menti Christi inhærebant, quam clarissimè illuminabat non tantùm copiosissima scientia infusa, & acquisita, sed ipsa etiam visionis beatificæ immensa claritas.

Tanta erat hæc afflictio, & pœna, ut sola suffecisset ad vitam Christo elidendam, ut ipsemet suis discipulis testatus est, illis verbis Matth. c. 26. *tristis est anima mea usque ad mortem.* Sed Christi Divinitas, sicut in superiore parte animæ suspendit omnem gaudii beatifici dulcedinem tam strictè, ut ne stillula quidem ad mitigandam immensam tristitiæ amaritiem, quæ potentias, sive facultates inferiores animæ suffocabat, per rimulam ad has penetraret; ita miraculosè in vita conservavit illam humanitatem sacrosanctam, dum illam quidem vasto tormentorum, & amaritudinum mari innatare, non tamen mergi permisit, hac una porrectâ anchorâ certæ, ac solidæ spei, quòd sola mors acerbissima quidem, brevi tamen om-

omnes acerbitates, amaritudines, & pœnas esset finitura.

JEsus patrat miracula, ut possit, & quidem acerbissima quæque pati; & tu, quando affligeris, vel infirmitate aliqua premeris, quæris & rogas miracula, ut statim cruce libereris, & ne leve quid pati cogaris. Pudeat te tam delicatum & mollem sybaritam esse, præsertim si aspicias & consideres exempla tolerantiæ, & patientiæ, quæ Christus tibi dedit, & reliquit stupenda.

2. Secunda causa priore longè potentior, feralis suæ tristitiæ fuerunt peccata totius mundi, pro quibus expiandis moriendum erat. Locum non habet tristitia, ubi locum non habet peccatum, hinc in paradyso gaudia sunt pura, defœcata, & syncera, quia nulla se illuc insinuare potest culpa, quæ turbet hæc gaudia. Christus ut capax fieret tristitiæ, *factus est pro nobis peccatum.* 2. Cor. c. 5. assumpsit similitudinem peccatoris, assumendo peccata omnia totius generis humani, dum autem se sub hoc pondere, sub hoc squalore, & sordibus contemplatur, tali correptus est horrore, tali suffusus pudore & rubore, ut terra ipsa contremisceret, herbæ ipsæ, quibus prono se vultu infuderat, erubescerent. Majorem dolorem & tristitiam Christus sensit ob unicum peccatum veniale, quam ullus utut ferventissimus in se rediens, & severissimam pœnitentiam agens peccator pro ingenti, &

quasi immenso peccatorum cumulo, imò quàm omnes ejusmodi ad pœnitentiam reversi peccatores peccata sua gravissima, & enormia, numero capillos capitis, & arenam quæ jacet in littore maris, supergressa, amarissimè deplorantes.

Jam tibi imaginare, & conclude, si talis fuit dolor Christi, & cordis tristitia ob unicum peccatum veniale, qualis cordis afflictio fuerit ob aliquod peccatum grave; qualis ob multa, qualis propter omnia tam commissa, quàm usque ad mundi finem committenda. Christi amarissima contritio similis fuit mari immenso, quod sibi simile non habet: *magna est velut mare contritio tua.* Thren. c. 2. Nostra contritio rivulus est ex illo mari in cor nostrum derivatus: *De plenitudine ejus omnes accepimus* Joan. c. 1.

Si contritio oritur ex cognitione divinæ majestatis vilipensæ, & contemptæ, & ex amore summi boni, cùm hæc scaturigo utraque in Christo fuerit longè major & uberior, quàm in ulla alia creatura, consequitur, in ipso pariter majorem fuisse contritionis dolorem, quàm fuerit, & esse potuerit in omnibus pœnitentibus, & sua peccata acerbissimè deflentibus hominibus totius mundi simul.

Et tu ex peccato, ex Dei offensa etiam delectationem & solatium haurire poteris, cùm non ignores hanc tuam mellis guttulam Christo converti in immensum mare

fellis?

fellis? Quàm longè levius cor Christi fuisset afflictum in horto, si peccata tua pauciora, & leviora fuissent! quàm magna pars, quàm magna causa tu fuisti profundissimæ, & feralis illius tristitiæ, quæ Christum oppressit, & sanguinem expressit in horto?

3. Tertia causa suæ mœstitiæ, & angustiæ fuit, quòd prævideret, fructum suæ passionis futurum non adeo uberem, & non obstante efficacissimo medio ac remedio, ad quod pro omnium hominum, totiúsque mundi salute suo sanguine parandum in procinctu erat, tot animas æternùm perituras. Si dux prælium initurus non speraret victoriam, sed prævideret, se incassum, & sine fructu suum & suorum sanguinem fusurum, majori afficeretur dolore & tristitia ob id, quod nullum vel exiguum ex tot suis laboribus, doloribus, vulneribus retulisset, quàm quòd hos labores licèt maximos & amarissimos subivisset.

Et hæc erat spina illa acutissima, quæ cor Christi in horto transfigebat medium acerbissimè, videre sibi è venis integrum sanguinis fluvium effundendum esse, qui sufficeret ad emundandos à quibuscunque, etiam innumeris peccatorum sordibus, non unum, sed mille mundos, & hoc cum tam exiguo effectu, ut in paucos imò paucissimos respectu pereuntium sit redundaturus. Cernere, sibi fundendum esse sanguinem pro salute etiam perfidi Judæ, eo ipso tem-

pore, quo ipse carnifex sibimet factus fractis faucibus ex funesta arbore pendulus infelicem animam orco transmisit: cernere, quod ipso mortis suæ articulo infelix latro lateri suo proximus delusa passionis suæ efficaciâ, è cruce ùt facilè poterat, non ad astra cum socio evolaturus, sed ad infernum detrudendus esset: cernere, quod tempore extremi judicii in vicina valle Josaphat, passio & mors sua futura esset majori hominum parti, nempe reprobis omnibus confusioni maximæ, & opprobrio, quòd tam malè responderint tot, tantisque, innumerisque beneficiis, omnium verò maximè beneficio Redemptionis: quàm amarè illud objiciet ac repetet Psal. 29. *quæ utilitas in sanguine meo*?

Jure secum poterat jam in horto iterum iterúmque revolvere animo triste illud acroama: *quæ utilitas*? Poterat equidem Christus ad tædium levandum mentis oculos à tristibus avertere, & ad amæniora objecta convertere, poterat sibi objicere Electorum ad gloriam numerum, sed ut omnem consolationis fontem sibi obturaret, zelo suo imperante magis considerabat horum paucitatem, quàm fructum suorum laborum, & acerbissimæ passionis. Jactura etiam unius solius animæ æterna sufficere poterat ad opprimendum tanta amaritudine divinum ejus cor, ut præ tristitia emoreretur.

Col.

Collige jam, quo animo fuerit, quando ex illo monte oliveti, ubi tunc erat, perspicacissimo infinitæ scientiæ & sapientiæ oculô universum mundum lustraverit, & perlectô hujus universi vastô librô viderit tam paucos salvandos, tam multos damnandos; viderit tam charum olim populum Hebraicum, selectissimam hæreditatis suæ portionem, reprobatum, viderit ex Electorum catalogo expunctas civitates, provincias, regiones & regna, nationes, gentes, populos integros infidelium, Saracenorum, & paganorum, viderit sibi ereptam etiam Christianorum potissimam partem falsis hæreticorum dogmatibus fascinatam, Schismatum erroribus à vera Ecclesia avulsam, vel illecebrosis hujus mundi blanditiis aut perversis axiomatibus excæcatam, & dementatam. Quam consolationem Christus capere poterat hæc perpendendo, simúlque cernendo, quòd post copiosam tot animarum vindemiam à dæmone collectam, sibi vix aliquot botri remanerent immenso passionis suæ labore colligendi: *Factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.* Mich. c. 7.

Tu, quamvis exigui zeli & frigidæ charitatis, non tamen sine tenero afflicti cordis sensu in Ecclesiastica historia legere poteris tot animarum jacturam, quam secum traxit tot provinciarum in Africa, in Asia, in Europa, à vera, Catholicáque fide defectio: Quo doloris torrente cor Christi inundave-

rit

rit tam magna & deploranda tot animarum perditio, qui tam clarè cognoscebat pretium cujusvis animæ, & tanta ardebat charitate, ut ad has salvandas paratus & jam in procinctu esset ad effundendum divinum suum sanguinem usque ad ultimam guttulam.

Ut aliquod tamen solatium cordi JEsu ob tantam tam pretiosarum animarum jacturam afflictissimo aspergas, statue, ac sanctè promitte, quod juxta statum & gradum tuum Ecclesiasticum saluti animarum procurandæ te totum, omnes vires & vitam impendere velis, veniam demississimè petendo, si tuâ culpâ, aut negligentiâ unquam anima aliqua cum tanto Christi Redemptoris dolore periisset.

Punctum secundum.

Considera JEsum in horto proditum, & in ipsa proditione observa, in quanta mala præcipitare hominem possit unicus inordinatus, & effrænis affectus, sive passio animi indomita; nempe 1. inducit, & trahit in peccatum grave. 2. ad perseverandum in peccato. 3. ad moriendum in peccato.

1. Affectus, qui Judæ dominabatur, erat inordinatum desiderium possidendi bona propria, & pecunias contra votum paupertatis in Collegio Apostolico editum: hoc

tra-

traxit Judam ab initio ad furta minuta ex communi crumenâ, cujus cura ipsi fuerat demandata: à furtis minutis processum est ad majora, ab his ventum est ad statuendam ipsius Christi venditionem triginta argenteis: ab hoc animi proposito gradus factus est ad paciscendum cum Christi inimicis Judæis, & pactum proditorium stabiliendum: *Judam in barathrum nequitiæ præcipitavit neglecta minimorum cura.* Hugo de S. Victore.

En quo pedetentim deducat etiam unicus inordinatus animi affectus in ipso ortu non suffocatus, vel saltem non correctus: quò abripuit etiam Apostolum, in Christi schola educatum, lacte sanctitatis enutritum, inter tot clarissimarum virtutum, quibus ei Apostoli socii prælucebant, exempla, postquàm aliis prædicavit, rudes veræ fidei doctrinâ imbuit, aliis contemptum rerum caducarum, fugam voluptatum, vanitatum, divitiarum, paupertatis amorem persuaserat, miracula patraverat, dæmonia ab energumenis ejecerat?

Ad tam funestam tragœdiam ipsa etiam firmissima Ecclesiæ fundamenta & columnæ contremiscere debent, etiam Ecclesiastici viri, qui Apostoli Judæ instar aluntur ex crumena Christi, & cum Christo familiariùs agunt, quàm alii, meritò sibi timere, & cavere debent ab effræni etiam uno tantum affectu, & malè domiti cordis impetu: si ab hoc te trahi sinis in errores leviores, nec

hunc

hunc cohibere studes, & supprimere, nihil aliud expectandum, quàm ut in majores, & tandem maximos te præcipitet: *à minimis incipiunt, qui in maxima proruunt.* Bern. de vit. mor. inst.

Stylo ordinario nemo uno momento descendit ad infimum iniquitatis gradum, uti nemo ad supremum perfectionis apicem ascendit: Nemo repente summus. Unde illud decantatissimum: principiis obsta, quæ viam sternunt ad majora mala, & proniorem progressum ad extremam tandem perniciem. Etiam Judas sibi ab initio blanditus fuerit, & dixerit: quam grande malum, subtegere aliquot obolos, quos industriâ meâ supererogatoriâ centies mereor, & Magister meus verè optimus id ægrè non feret. Nec ipse in animo habuit, nec unquam se in animo habiturum credidisset eò sceleris prolabi, ut Christum perfidè traderet, & vilissimo pretio sacrilegè venderet cruentis hostibus. Disce igitur sapere alieno periculo, & alterius præcipitium ac ruina sit tua admonitio & doctrina.

2. Judas in suo peccato induratur eludens omnes gratiæ impulsus. Perpende, quàm suaviter simul & fortiter cor Judæ emollire, & ad se trahere Christus conatus fuerit: adhibet eum mensæ suæ, eique clarè prædicit, eam fore ultimam cœnam, quam ante mortem suam sumpturus esset: & Judas dissimulat: Inter cœnandum Apostolis insinuat,

sinuat, ab uno ex illis se tradendum: & Judas dissimulat: apertiùs loquitur Christus ajens, traditorem perfidum secum intingere manum in catino: & Judas nihil horum vult capere.

Benignitas salvatoris ad majores adhuc blanditias progreditur: prosternit se ad ejus pedes, eósque summa teneritudine lavat, tergit & mundat, ardenter desiderans cor Judæ longè sorditius non jam aqua, sed proprio sanguine lavare, & purgare: & Judas hæret immotus. Porrigit in cibum suam carnem, in potum suum sanguinem: & Judas non tangitur, est insensibilis: in horto Gethsemani Christus it Judæ in occursum, infigit pacis osculum, vicissim ab eo recipit osculum proditorium, impium, sacrilegum, vocat amicum, & tandem aperte detegit se traditionis suæ conscium esse, & semper fuisse: *Juda osculo filium hominis tradis?* Luc. c. 22.

Sed incassum omnia: nihil amplius sufficiebat ad emolliendum cor lapideum: Juda inspectante turbas, quæ ad capiendum Christum ipso duce advenerant, supinas in terram prosternit, in ipsius præsentia sanat Caiphæ servum Malchum, eíque auriculam à Petro amputatam restituit integram: sed nec miracula suffecerunt ad expugnandum & convertendum cor Judæ induratum, marmoreum, chalybeum. Stupenda, & sanguineis

lachry-

lachrymis deflenda cordis à Deo deserti, duritiés, & obstinatio!

Sed huc devenitur, quando indomitus affectus animi cor humanum subjugavit, & suæ tyrannidi subjecit; nullæ ampliùs divinæ gratiæ vires, nullæ clamantis & ad se invitantis Dei voces, nullæ blanditiæ, nullæ promissiones, minæ nullæ, nulli conscientiæ oblatrantis remorsus quidquam efficiunt; surdus, durus, insensibilis manet ad omnia, dominantis affectionis pessimæ audiuntur solius imperia.

Ex his duo tibi capias documenta. A Christo quidem disce, quid & quomodo agendum tibi sit cum tuis inimicis, offensoribus & persecutoribus, qui pro beneficiis summa ingratitudine tibi reponunt maleficia. Ex Judæ funesto interitu disce, primis gratiæ internis impulsibus statim cedere, & nec minimùm resistere, ne cor tuum indurescat, & obsurdescat; aliàs postea extremi etiam excitantis gratiæ conatus eludentur, & nec ad clamores vocantis, aut ad tonitrua minitantis DEI expergiscetur.

3. Judas peccato suo immoritur. En ultimum gradum, & lugubrem finem, ad quem perducit indomitus animi affectus, qui nutritus & fotus despoticum in captivam animam exercuit imperium. Hac viâ Judas inductus ad peccandum, ad obstinatè perseverandum, & tandem desperatè moriendum,

dum in peccato, fallaci spe, vel potùs temerariâ præsumptione deceptus, Christum ex immensa sua clementia, misericordia, & bonitate, quam sæpiùs jam expertus fuerat, sibi scelera sua omnia, quandocunque placuerit clamare ad eum facilè ac velociter condonaturum. Dum fervor & furor sinistræ affectionis, sive passionis durabat, & æstuabat excessus & errores suos non agnoscebat, nihili pendebat, sed ubi hic æstus deferbuit, conscientiam jam oculatior detexit, & in conspectum posuit gravitatem delicti commissi urgendo illum acerbis stimulis ac morsibus diu noctúque, quod omnis, qui peccat, experitur: tum enimvero exhorruit.

Ab initio cœca passio mentem peccantis excœcat, malitiam & gravitatem peccati extenuat, postquàm peccaminoso pruritui litatum, & satisfactum est, insurgit rea, & ultrix conscientia, malum explicat, & surdo verbere mentem convictam castigat. Retulit Judas, & restituit malè partum pretium sacrilegus venditor sacrilegis emptoribus Judæis sacerdotibus, & his id recipere detrectantibus, indignabundo impetu in templum projecit, ut vel sic demonstraret, neminem rebus malè partis diu gaudere. Confessus est apertè grande suum delictum, sed ad suam perniciem in sacerdotes pessimos incidit, qui huic pœnitenti non paternam porrexerunt dexteram, ut eum ab

interitu retraherent, sed qui eum in inferni barathrum protruderent, hoc amaro sarcasmo eum prosecuti: *Quid ad nos, tu videris.* Matth. c. 27. nostrâ parum refert? tibimet imputa. Et hac inhumana cruditate, quæ jam desperabundum Judam exceperunt, ejus interitum magnis passibus promoverunt.

Si es sacerdos, cui cura, & custodia animarum demandata est, cave ne sis ruinæ aut perditionis causa ulli animæ vel per nimium rigorem, vel per nimiam conniventiam. Judas à sacerdotibus repulsus, omni spe veniæ dejectus, quâ stultè nixus peccare, & in peccato perseverare tamdiu ausus est, currit, & se ex arbore suspendit, elisis faucibus miserrimè interiens, impœnitens, suóque peccato immoriens. Summa stultitia, belluina ferocia, Dei bonitate & misericordia abuti ad Deum eò audaciùs offendendum; adhuc major dementia & protervia est, nolle credere, quòd Deus velit remittere peccatum; si te quoque spes facilè obtinendi peccatorum veniam, ad peccandum alliceret, nunc spes melior te alliciat, & pertrahat ad agendam maturè seriam pœnitentiam.

Punctum tertium.

Considera, quodsi Judas cecidit, reliqui Apostoli non steterint firmi, & immoti: om-

omnes, quamprimùm viderunt Christum captum, profugerunt, & Christum deseruerunt: *omnes relictô eo fugerunt.* Matth. c. 26. Unde apud Apostolos alioquin Christô tam fideles tanta ignavia originem traxit? nostin unde? Ex defectu orationis, humilitatis, & fortitudinis?

1. Deseruerunt Apostoli turpiter suum Magistrum, quia priùs deseruerunt orationem. Christus in horto identidem interrumpebat orationem, & ad Apostolos se conferebat, admonens eos, ut excussô somnô vigilarent & orarent: *vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Matt. c. 26.

Egregia vivendi methodus pro Ecclesiastico, varietas, quæ meritò delectet, nunc agere cum DEO, paulò pòst Deum relinquere propter Deum, & accurrere ad proximum juvandum, animô paulò pòst redeundi iterum ad Deum, & cum eo agendi.

Verùm Apostoli surdis auribus Christi admonitiones exceperunt: inconsultò se somno abripi permiserunt, quando maxima urgebat necessitas vigilandi, & orandi; nec torpidum soporem excutere valuerunt, quamvis ter ad illos admonendos & animandos advolârit Christus magister optimus. Vigilabat interim Judas, & omnes obrepentis somni insidias procul arcebat cura adornatam proditionem ad finem perducendi, & triginta argenteos, vile pretium, lucrandi.

O quoties longè plus sollicitudinis & laboris impenditur ad obtinendum leve lucellum, sæpè ut dæmoni serviatur, quàm ut animæ salus promoveatur, Deo obediatur, & cœlum obtineatur. Nullus sentitur somnus, nulla lassitudo, quando spectanda est comœdia, sed quando per unicam etiam noctem, vel noctis partem assistendum est moribundo, desunt vires, id non admittit imbecillis sanitas.

Extincto orationis studio Apostoli in tentationem inciderunt, illique succubuerunt, Christum deserendo. Defectus orationis est prima origo omnium defectuum, & tandem subsequentis ruinæ ultimæ. Perseverantia in bono est donum DEI, quod nonnisi orantibus conceditur, teste D. Augustino: *nullum credimus, nisi orantem, auxilium promereri.* Lib. de Eccl. Dogm. c. 50. Oravit Christus ut nobis exemplô præiret, & orando vicit timorem, ut morti imperterritus obviam iret, quam priùs tantopere timebat: si tu exemplum Christi fueris secutus, ope DEI, quam orando impetrabis, omnes difficultates facilè vinces.

2. Dereliquerunt Apostoli magistrum suum, quia contra regulas Christianæ humilitatis nimium præsumpserunt de seipsis, & suis viribus. Præ cæteris Petrus animosior à Christo de imminente tempestate sævissima admonitus, non se humiliavit, sed præsidenter respondit: *Etsi omnes scandalizati fuerint*

rint in te, ego nunquam scandalizabor. Matth. c. 26. Joannes & Jacobus interrogati, an possent bibere amarum passionis calicem, sine omni hæsitatione responderunt: *Possumus.* Matth. c. 20. Thomas intonuit: *eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Joan. c. 11. Grandiloqua promissa; sed quibus facta minimè responderunt.

Ita plerumque evenit illis, qui nimiùm sibimetipsis fidunt: *Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum conversi sunt in die belli.* Ps. 77. Qui se jactabat & reputabat strenuissimum militem, & peritissimum sagittarium, cùm ad pugnam ventum est, primus fugam arripuit. Dei permissione, & justa dispositione accidit, ut, qui de se, & viribus suis præfidunt, turpiter corruant primi, & saltem sic discant se humiliare, sibíque diffidere, ac imposterum, si irruentes tentationes superent, non sibi, sed largitori Deo victoriam, & gloriam adscribant. Deo non placet, qui confidit in suo robore, in fortitudine sui equitatûs, vel peditatûs, sed qui timet Deum offendere, & in Dei misericordia, in ejus potenti brachio & auxilio confidit. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei: beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus* Ps. 146.

Tu ipse quot proposita, & tuo quidem judicio firmissima, inconcussa jam fecisti, & quàm pauca ex his executioni dedisti?

Quàm totus alius ab illo fuisti, quem te futurum statueras & juraveras? Deprime, & humilia te etiam in summo devotionis fervore, in media cœlestium consolationum abundantia, semper fragilitatis tuæ memor.

3. Timor hic non debet esse dejectus & anxius, sed ingenuus, & conjunctus cum magna animi fortitudine, & generositate, nam Christiana humilitas nunquam est ignava & vilis, sed intrepida, & fortis: & siquidem timet sibimet diffidendo, omnem timorem excutit, spem omnem figens in Deo. Hoc fundamento nixus S. Thom. 2. 2. q. 129. art. 3. ad 4. probat, humilitatem nullatenus contrariam esse magnanimitati, sed amicam, & fidam sororem. Rupertus Abbas heroica, & stupenda Moysis facta adscribit suæ humilitati, tanquam radici: *quoniam te deprimis, sustollam te, faciámque te Deum Pharaonis* Exod. c. 26. Christi discipulis in horto sicut defuit humilitas, ita defuit magnanimitas & fortitudo, & quamvis Petrus ab initio strinxerit gladium, ut Christum defenderet, tamen hæc generositas non diu duravit, sed in fumum abiit, & in ignavam fugam desiit, quam cum reliquis discipulis arripuit, nec Christo placuit, quippe inconsiderata potiùs temeritas, quàm animi fortitudo. Quamdiu Apostoli viderunt, Christum patrare miracula, stipari ab integris hominum turbis, ubique plausibus, & laudibus excipi, hæsêre laterii

quan-

quando scena mutata est, & Christum conspexerunt contemptum, derisum, catenis oneratum, vili timore correpti omnes dilapsi sunt: omnes sibi præsentes habuit in mensa, & nullum, ne quidem unum in persecutione, in captivitate, in carcere.

Tu cave, ne tam incivilem & crudum te exhibeas erga Deum, cujus pane tam lautè & benignè pasceris; præsertim si de illorum numero es, qui beneficiis & proventibus Ecclesiasticis aleris & sustentaris; nec Christum tam turpiter relinque in manibus, & in arbitrio suorum inimicorum, quin te opponere, & impedire audeas, ne Christus tam graviter offendatur, & vilipendatur; sed omnium pessimum, & turpissimum foret, si tuipse ob vanos timores, & respectus humanos Christum offendere, & contemnere juvares.

Respice quæsumus Domine super hanc animam meam, pro qua Dominus noster JESUS Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum: qui tecum vivit &c.

Dies nona.

Meditatio decima septima.

De præcipuis mysteriis Passionis Dominicæ.

PEracta consueta oratione præparatoria, præmittes Meditationi sequentia duo præludia.

In primo tibi ob oculos pone Christum à capite usque ad calcem plagis obsitum, & sanguineis rivulis diffluentem, quam formam præferebat, quando Pilatus Christum populo ad emollienda adamantina Judæorum corda, & ad commiserationem flectenda, ex altiori loco ostendit, simúlque tibi imaginare, te Patrem divinum his verbis te alloquentem audire: *Ecce homo, ecce Rex vester.* Joan. c. 19. En caput, en ducem tuum, quem sequi, en exemplar, quod imitari statuisti.

In secundo pete gratiam à Christo, ut dolenti in suis doloribus condolere, cum patiente pati, crucifixo in cruce configi, & subinde etiam cum regnante regnare possis *Si sustinuimus, & conregnabimus.* 2. ad Tim. c. 2. *Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* 1. Petr. c. 2. Poteris

etiam

etiam ad Virginem & matrem dolorosam vertere preces, & vota tua, eámque his verbis alloqui: *Sancta mater istud agas, crucifixi fige plagas, cordi meo valide; tui nati vulnerati pœnas mecum divide.* Et his ipsis utere pro precibus jaculatoriis sæpiùs hoc manè repetendis. Hanc meditationem divides in tria præcipua mysteria Dominicæ Passionis, quæ sunt 1. Flagellatio. 2. Coronatio. 3. Crucifixio Christi.

Punctum primum.

Considera dolorem acerbissimum Christi in atrio Pilati ad columnam flagellati: metiri acerbitatem hujus doloris poteris ex triplici hujus causa 1. ex causa principali. 2. ex causa instrumentali. 3. ex causa materiali.

1. Causa principalis fuit Pilatus, qui Christum jussit flagellari, quamvis Christi innocentiam optimè perspectam habuerit. Tres insignes injurias Pilatus intulit Christo, quæ singulos flagellorum ictus vehementer exacuebant: Prima erat, quòd Pilatus innocentiam Christi comparaverit malitiæ Barrabbæ latronis, & seditionis concitatoris, quasi exiguum esset discrimen inter hunc & illum, permittens pleno populi arbitrio, quem placeret libertate donare, quem morti addicere. Hæc tam palmaris injuria comparationis nefandæ pondus flagellorum

ictibus addidit, nam carnifices in ea jam erant persuasione Christum esse reum, & malefactorem, Pilati quidem judicio Barrabbæ æqualem, populi verò totius unanimi sententiâ Barrabbâ longè deteriorem, & nocentiorem.

Similem injuriam tu Christo intulisti, eum non solùm comparando cum vili creatura, sed etiam eidem postponendo, quando grave peccatum commisisti, eóque ejecto locum dedisti in corde tuo, & habitaculum dæmoni; hinc meritò contra te amarè conqueritur per Prophetam Isaiam c. 46. *Cui assimilâstis me, & adæquâstis, & comparâstis me?* Nunc ergo Christum, Deum tuum præpone bonis omnibus, & agnosce, ac dele errorem à te commissum, dum Christum bonis tam frivolis per peccatum postposuisti.

Secunda injuria intolerabilis à Pilato illata Christo, consistit in eo, quòd infami flagellationis pœnæ eum adjudicaverit, quem agnoverat innocentem; & hinc etiam ex hoc capite flagellationis dolor auctus fuit, nam reo non modico solatio est scire, quòd juxta allegata & probata justè fuerit condemnatus; sed scire, innocentiam suam judici fuisse perspectam, accusatores coram tribunali in judicio nihil, nec minimum quid probâsse, & tamen eos triumphare ob suam præpotentiam, ac violentiam, judicem verò ex summa ignavia ipsis cedere. O

quan-

quantùm premit, augétque pœnæ acerbitatem.

Et hanc injuriam tam grandem tu quoque Christo intulisti, cùm & tibi optimè perspectum esset Christum omnibus rebus amabilibus millies amabiliorem esse ex vili ignavia tamen tentationis assultui cessisti, & judicâsti consultius esse, & æquius, huic obsequi, & Christum offendere.

Tertium injuriæ genus, à Pilato illatum Christo, erat, velle ac præendere, ut condemnatio ad dirissimam flagellationem etiam inter favores ac gratias numeraretur à Christo, latè hiantes plagæ, inducti tergo sanguinei sulci pro blanditiis haberentur. Dicebat & jactabat Pilatus, se potestatem habere Christum dimittendi liberum, vel crucifigendi: *Potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te.* Joan. c. 9. Nihilominus ex commiseratione erga miserum injustè condemnatum, ùt probè noverat, annuere, & permittere, ut mortis loco, quam nullo modo merebatur, crudelissima flagellatione exciperetur. O quantum amaritudinis hæc summa iniquitas & injustitia cruentis flagellorum ictibus affuderit, pro quibus tanquam beneficiis expectabantur, & exigebantur debitæ gratiarum actiones, dum interim merebantur severam, & justam à divina Nemesi vindictam.

Forsitan & tu huic non multùm dissimilibus injuriis Christum afficis: profectò

non

non multùm abluderes, si Deo offerres sacrificia & orationes culpabilibus mentis evagationibus, vel intentionibus infectas, eo ipso tempore & modo eum offendendo & exasperando, quo mitigandus, placandus & debito honore afficiendus erat: hinc contra te & tui similes lamentatio illa Malachiæ c. 1. *Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te?* Dictum hoc dilucidat S. Hieronymus: *polluimus panem, id est corpus Christi*, quando indigne accedimus ad Altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus.

En honorem, quem Christo exhibuisti, si unquam peccato gravi infectus sacrificium incruentum obtulisti: sordibus opplevisti mundissimum, & immaculatum Christi corpus, ita enim loquitur Scriptura: *coinquinabar in medio eorum.* Ezech. c. 22. Fores enimvero propter tale peccatum non minùs reus, quàm ipse Pilatus, nam reus fores Corporis & sanguinis Christi: *Reus erit Corporis & sanguinis Domini.* 1. Cor. c. 11.

2. Causa instrumentalis flagellationis Christi JEsu fuerunt carnifices, qui mandatum impii & iniqui judicis executi sunt. Hi quoque flagellationis dolores auxerunt supra limites aliàs præscriptos. Imprimis insolitus fuit numerus tortorum, fuerunt enim horum triginta paria, prout S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis revelatum legimus, qui vices mutabant, ita ut bini binis succederent,

rent, cruento labore jam fatigatis, re entes, & viribus integri.

Deinde ob horum tortorum crudelitatem, erant enim homines robusti, efferi, à teneris fundendo sanguini humano assueti, furorem & sanguinis sitim adhuc magis accendebant suis instigationibus dæmones; accedebat Pilati mandatum, qui volebat Christum enormi flagellatione ita deformari, & excoriari, ut sufficeret ad saxea Judæorum corda etiam solo primo intuitu commovenda, & ad teneritudinem inflectenda, accedebat tandem etiam Pharisæorum ardens invidia, & rabies, qui cùm timerent, ne post exantlatam flagellationem Christus à Pilato liber dimitteretur, promissis & largitionibus liberalibus carnifices ita accendebant ad tamdiu sæviendum in Christum, ut Christo referendæ verberum, & plagarum acerbitati jam impari spiritum eliderent, & animam extunderent.

Tertiò tormentum flagellationis auxit flagellorum, quæ adhibebantur, diversitas, quales erant virgæ oblongæ, flexiles ac lentæ, funes in nodos contorti, nervi bubuli, ponderosæ catenæ, funiculi conglomerati, & inferius ferreis stellulis, uncinis & calcaribus armati, qui cutem perforantes, eam fœdè lacerabant, & violentia summa retracti ipsam carnem frustatim discerpebant, & in aërem vibrabant.

Quartò

Quartò flagellationem fecit duriorem ingens numerus verberum, & ictuum cruentorum nullatenus intra limitem à lege præscriptum, ne quadragesimum excederet, restrictus, sed millenarium excedens. S. Bernardus numerat horum sex millia, sex centum, & sexaginta sex. S. Vincentius Ferrerius numerat ictus octingentos, viginti octo, qui omnes solis nudis, pelle, & carne jam spoliatis ossibus inflicti fuerint.

Sed neque intra hos limites se coërceri permisisset efferata tortorum rabies, nisi Porphyrius miles, prout in revelationibus S. Birgitæ narratur, ad teneritudinem & commiserationem tanta crudelitate permotus, funes, quibus Christus columnæ adstrictus hærebat, dissecuisset; unde Christus viribus & sanguine ob tantam lanienam exhaustus concidit in sanguine suo naufragus; quinimo, ùt S. Augustinus adjungit, tot lanienis & carnificinis, tanta sævitie necdum satiata tortorum ferina crudelitas, quamvis miserrimè laniatum, defœdatum, terræ afflictum, & sanguini suo innatans corpus commiserationem aliquam extundere debuisset ab his tigridibus, novam, & prioribus non inferiorem verberum grandinem super jacentem in terra Christum novo impetu & furore effuderunt, & super dorsum ejus fabricaverunt. Si te non moveat ad lachrymas spectaculum tam lachrymabile, aut fide, aut pietate & corde cares.

3. Causa

3. Causa materialis flagellationis fuit totum Corpus Christi, cujus tenerrima compages acerbitatem doloris ex flagellatione percepti vehementer auxit. Erat hoc sanctissimum Corpus, opus & artificium propriis ut ita dicam manibus à Spiritu sancto tanquam omnium peritissimo architecto, & artifice formatum, ad omnem perfectionem ex Virgineo purissimóque sanguine Mariæ matris divinæ elaboratum, & numeris omnibus absolutum, eum præcipuè in finem, ut quàm aptissimum esset ad patiendum, ad perferendos dolores & cruciatus immensos. Hinc si consideremus artificem, qui Christi corpus formavit, materiam, ex qua illud formavit, finem, propter quem illud formavit, sufficientia habemus argumenta concludendi, illud fuisse tenerrimum, & delicatissimi sensûs. S. Bonaventura hujus opinionis erat, Christi in pedibus alioquin callosam duritiem delicatiorem, & sensibiliorem fuisse, quàm apud nos sit tenera oculorum & pupillarum compages. Unicus minimus culex, qui tenuissima sua proboscide perforet palpebras, & ad pupillam oculi penetret, quanto nos dolore non afficit, ut siderati circumcursemus, parietes feriamus, & imbrem integrum lachrymarum spargamus.

Perpende jam, quàm acrem dolorem senserit Christus ex tot, & tam crudis ictibus,

tanta

tanta vi, & tanto furore a lacertosis tortoribus tam delicato inflictis corpori, cui si teneritudo nostrarum pupillarum comparetur, hæ omni carere sensu, & sensilitate judicandæ sint. Pone tibi ob mentis oculos Christi corpus non jam vulneratum, sed unum & merum vulnus à planta pedis usque ad verticem capitis, diffluere ex omni parte sanguineis rivulis, sanguine tinctam columnam, sanguine natans pavimentum, sanguine maculatas vestes carnificum, sanguine aspersos parietes etiam remotiores. Hæc tibi debebantur ob tua delicta: *Multa flagella peccatoris.* Ps. 31. Et tu nihilominus audebis Christo nova infligere vulnera, & antiquis addere per tua peccata?

Vidit in extasi B. Catharina Genuensis Christum flagellis concisum, ad quod spectaculum attonita altùm exclamavit: *amor meus! nullum ampliùs peccatum.* Hunc fructum & tu ex hoc primo meditationis puncto collige, & cùm S. Augustinus doceat, flagellationis pœnam Christo fuisse inflictam ad placandam Divinam Nemesin nostris peccatis sensualibus irritatam, in unum hæc collige fascem ac cumulum, in cibo & potu intemperantiam, in somno, in lusu varios excessus, supinum otium, fugam laboris, & studii in tuo officio, horrorem pœnitentiæ, afflictationum corporis, & his similia; subinde projice hunc fascem ad pedes Christi flagellati, demissè rogans, ut has maculas

tuas

tuas omnes suo sanguine Divino eluat, simúlque seriò promittens, te omnem curam & conatum adhibiturum, ne imposterum te unquam similibus sordibus te inquines.

Punctum secundum.

Considera, quantum doloris, & ignominiæ Christo attulerit spinea corona; doloris, quia erat spinea, ignominiæ, quia erat corona.

I. Tormentum sive dolor coronationis spineæ ex diversis causis fuit ingens, & consideratione speciali dignissimus ob atrocitatem, ob durationem, ob novitatem.

1. Fuit tormentum atrocissimum, nam corona erat potiùs pileus, & tegumentum capitis, quàm corona, quod potiùs tegebat, quàm cingebat, nec erat ex communibus spinis contexta, sed ex oblongis & auctis implexa juncis: & hæc horrida cassis capiti tam altè fuit impressa, & immersa, ut usque ad medietatem frontis penetraverit; ita legimus in revelationibus S. Birgittæ. Ex his spinis & juncis duriores, & longiores ipsum perforarunt cranium, sic contemplatur D. Laurentius Justinianus; alii fragiliores in ossa impacti dissiluerunt, & fragmina carnibus hæserunt infixa; alii adhuc virides, & flexiles proruperunt per perforatas aures, & tempora; ita punctura unicâ duplex vulnus infligentes.

Nec tamen saxea tortorum pectora emolliit tanta sævities. Aliqui ex hac turba sonantes Christo infligebant alapas, alii ex mento & barba pilos evellebant; aliqui cannis ac fustibus tundebant ejus caput, alii ferreis induti chirothecis coronam spineam tota vi profundius in caput deprimebant. Unica spina calloso leonis pedi infixa, cogit hanc bestiam in horrendos prorumpere ejulatus, & montes vallésque implere rugitibus; quem ergo dolorem senserit Christus ex septuaginta & pluribus non duro pedi, sed capiti infixis, membro inter omnes externas corporis partes delicatissimo, in quo natura omnes quinque sensus tanquam in throno regio collocavit, unde omnes nervi per totum corpus diffusi, reliquo inferiori membrorum gregi aliquid vigoris, & sensûs dispensat. In his spinis doloriferis considera fructus, quos terra tua divino Agricolæ protulit: *tribulos & spinas germinavit.* Gen. c. 3.

Tu gloriaris, quòd membrum Christi sis totius Ecclesiasticæ Capitis, & es etenim speciali modo tanquam sacerdos & vir Ecclesiasticus super turbam omnium reliquorum fidelium evectus: sed meminisse oportet moniti à S. Bernardo dati: *non decet sub capite spinoso membrum esse delicatum.*

2. Tormentum hoc, non sicut reliqua omnia, saltem brevitate doloris fuit mitigatum, inimici enim Christo nec id leniminisi indul-

indusserunt, ut coronam ex capite vel tantillum detraherent, sed hanc ferre coactus fuit non solùm in atrio Pilati, & per plateas urbis Hierusalem, sed etiam in monte Calvariæ, in ipsa cruce usque ad ultimum halitum, ut ita dolor hic & durus esset, & diu duraret: nec ob diuturnitatem tanti doloris unquam aliquid de patientia sua perdidit vir dolorum Christus JEsus ad confusionem tuam, qui levissimo dolori statim succumbis, præsertim si aliquantò diutiùs durat.

3. Atrocitati, & diuturnitati pœnæ accedit novitas, cum ad illud usque tempus nemo tali pœna fuerit affectus. Senecæ sententia est, omnes hujus vitæ miserias comparativè tantùm magnas vel parvas, longas vel breves esse: *est miser nemo, nisi comparatus:* sed rem melius cepit Jeremias Propheta, dicendo, tunc miserias ad supremum ascendisse apicem, quando miser nullum invenit tam miserum, cui se possit comparare: hinc in miseriis & ruinis, quibus urbs Jerusalem obruta fuit, prævidens, & sibi præfigurans miserias ac tormenta, quibus Messias onerandus esset, in hos gemitus erupit: *Cui comparabo te, cui assimilabo te, & consolabor te, virgo filia Sion? Magna est velut mare contritio tua.* Thren. 2. Dolor tuus ô Christe similis est mari, quod sibi simile non habet: nullibi invenio prototypon,

cujus ectypon sit hic dolor, nec ectypon aliquod, cujus prototypon sit hic dolor.

Quòd si tu esses peccator novæ inventionis & artis, juxta modum & genium moderni temporis, qui novos & hactenus non usitatos excogitaret modos suis indomitis satisfaciendi concupiscentiis, & propensionibus, vestium luxum, aliásque pompas viris Ecclesiasticis hactenus inusitatas, nova obsonia, pretiosa, & ingeniosa juscula, peregrina ciborum condimenta nequidem Apicio olim nota, ut gula & ingluvies magìs irritetur, non ut fames satietur, excogitaret, qui novas, dolosas & captiosas adhiberet praxes, novos titulos, novos prætextus & jura erueret, ad emungendos subditos & aliorum crumenas evacuandas, novas technas, novas machinas, novos arietes admoveret pudicitiæ, & innocentiæ expugnandæ, considera, quàm bene & bellè inter se pugnarent amor Christi, & tua studiosa malitia: ille sollicite quærendo novas vias & modos plura pro te patiendi, tu sollicitè quærendo & indagando novas artes, & industrias graviùs, & atrociùs illum offendendi, & cruciandi.

Finiatur tandem hæc tua detestabilis contentio & pugna, & mutetur in contentionem aliam, & meliorem. Si Christus contentus non est ad contestandum suum erga te amorem sufferre tormenta, & cruciatus ordinarios, & usitatos, sed alios extraordina-

dinarios novæ & ingeniosæ inventionis desiderat, tibi vicissim satis non sit, ut huic amori amore, & vitæ sanctitate ordinario respondeas, sed anhela, & procura, ut mutuus & reciprocus tuus amor sit extraordinarius, defœcatissimus, & ardentissimus, vitæque tuæ sanctitas non vulgaris, sed eximia.

II. Corona spinea Christo non tantùm fuit dolori, sed etiam probro & ignominiæ publicæ. Notari publica ignominia, eámque debere tacito stomacho concoquere, genus est martyrii secreti, quod nullam ciet apud alios commiserationem, nam pœna latet, & tangit vitam occultam, & abscondtam, sed parit acriorem dolorem, nam tangit & afficit vitam longè delicatiorem, & magìs sensibilem; *nullus major labor, quàm ferre irrisiones*, judiciô Senecæ: tanto igitur major esse debuit dolor Christi, quanto major fuit derisionis ignominia, quæ quasi in immensum crevit ex omnibus illis fontibus ex quibus ignominia aliqua crescere potest; fontes autem isti præcipuè ad hos tres revocari possunt 1. ad dignitatem illius, qui deridetur, & probro afficitur. 2. ad vilitatem deridentium. 3. ad derisionis & ignominiæ modum, sive qualitatem.

Derisus consideratus quoad dignitatem suæ personæ erat æterni Patris filius, huic consubstantialis quoad naturam divinam; consideratus ut purus homo, erat quidem

pauper, nihilominus trahebat originem ex Regia ſtirpe Davidis, quin & Aaronis, ita ut in ſe ſplendorem Regium coronarum conjungeret cum ſanctitate ſacerdotali mitratum, cùm proximi ejus conſanguinei Zacharias & Joannes in ordine ſacerdotali prima occuparent ſubſellia: Ipſi deriſores ſciebant, quàm multa & magna patrâſſet miracula, à ſuis diſcipulis ubique ſtipatus & cultus, à populo, & ſequacibus turbis æſtimatus, & adoratus, nuperrimè, cùm Hieroſolymas ingrederetur, triumphantis more feſtivis acclamationibus, & plauſibus ſolenniſſimè exceptus.

2. Deriſores erant ex infima fæce plebis, calones militiæ Romanæ, adulatores Regis adulteri, venales omnis juſtitiæ corruptores, & emptitii omnis iniquitatis executores, ſubdoli & politici præſidis mancipia, viliſſimi lictores, quos unica ſpes accipiendæ à Phariſæis largioris remunerationis ad excogitandum hoc novum ignominioſi tormenti genus ingenioſos fecerat.

3. Hæc deriſio ludibrium erat infame, barbarum. Omnia quæ ad condecorandam, & augendam Regis aut Principis alicujus Majeſtatem ſpectant, mutaverunt in inſtrumenta ad augendam ignominiam. Pro throno Regio conſcendere jubetur ſcabellum fœtidum nonnihil altius, illique inſidere nudus: non afferuntur inſignia regia. Fruſtum

stum detritæ & laceræ purpuræ, ut ita denotetur & explodatur paupertas sui principatûs ac regni, & hoc paludamento vestitur. Diadema ex spinis contortum, ut exprimatur sterilitas suæ jurisdictionis: & hoc diademate coronatur. Sceptrum ex fragili arundine, ut præsentetur vanitas suæ potentiæ: & hoc ipsi in manus datur. Regi hac ratione coronato turmatim appropinquant effrontes scurræ, eúmque ridicula adgeniculatione ironicè adorant, tanquam homagium præstituri: *genuflexo illudebant.* Acclamant sonora voce amarô sarcasmô: *Ave Rex Judæorum.* Hic fœtentia, & purulenta rheumata in ejus faciem eructat, alius eum alapis & colaphis contundit: *Conspuebant in eum, & dabant ei alapas.* Joan. c. 19.

JEsus interim tacet, & patitur: simul tamen tibi loquitur non voce linguæ, sed exempli loquacis tibi dicens: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum.* Luc. 22. Pater cœlestis disposuit, ut Christus adipisceretur coronam gloriæ per coronam spineam: pari modo etiam de te disponitur: an tu conqueri, & lamentari audebis? detrahe capiti Christi è cruce penduli coronam spineam, nidum illum dolorum, & ludibriorum, tuóque capiti impone, imprime adjungens: *adveniat Regnum tuum.*

Punctum tertium.

Considera in crucifixione Christi pœnas corporis & afflictiones animæ.

1. Christus in Calvariæ montem eluctatus à carnificibus mox arripitur, & summâ vi detractis vestibus, quæ coagulato sanguine è tot vulneribus profluo pelli & carni agglutinatæ hærebant, spoliatur cum tam vehemente dolore, ut illum, quem in flagellatione senserat, adæquaret, vel superaret. Ad imperium carnificum dilaniatum, ac nudum corpus supra crudum crucis truncum extendit, manus pedésque distendit, & ad affigendos cruci ultrò, & promptè porrigit, se ipsum Divino Patri in victimam & cruentum sacrificium pro nostra totiúsque humani generis salute offerens, eúmque rogans, ut omnes pœnas quantumvis gravissimas culpis nostris debitas in se exoneret, & derivet: coronam spineam non tam fixè ampliùs capiti inhærentem, denuo toto conatu fronti imprimunt, & totum coronationis tormentum renovant: manus pedésque ut ad foramina crucis nimis invicem distantia pertingant, vi pertrahunt; arreptis malleis in altum brachia tollunt, & repetitis ictibus crassos, & obtusos clavos per manus pedésque adigunt, dilacerando, & discerpendo carnem, nervos, venas, & arte-

arterias, non sine intensissimo dolore. Sic crucis stipiti firmiter affixum in altum sustollunt, crucem in præparatam in hunc finem scrobem toto pondere dejiciunt, ut ita firmiùs & profundiùs in terram demergatur, quæ succussio omnia membra vulnerata, præsertim manus pedésque perforati immanibus denuo affecti sunt doloribus.

Christus hoc modo in altum sublatus non invenit, ubi caput reclinet, nisi super lacerata illud demittat brachia, & hoc novo pondere clamorum fissuras dilatet. Omnia diffluunt sanguine, caput spinis pertusum, manus pedésque clavis perforati, totum denique corpus ob atrocem flagellationem, & hanc per violentam vestium plagis agglutinatarum avulsarum renovatam, unum vulnus.

Si latronum crudelissimus tanta sævitie exciperetur, similibus tormentis afficeretur, ad commiserationem etiam ferreos animos commoveret: & tu ante oculos tuos cernens Christum Deum tuum è cruce pendulum, cruentatum, dilaniatum, potiùs spectrum hominis quàm hominem, in quo neque species neque decor, & quidem propter te, & tui amore, quin viscera tibi commoveantur, & vel minimam stillulam amoris & doloris indicem cor tuum marmoreum ex oculis protrudat.

Irascere, maledic peccatis tuis causæ unicæ immanis Deicidii: mille rependе gratias

Christo JEsu pro affectu & amore tibi in ipsa cruce exhibito, & demonstrato, mille ferventissima oscula imprime pedibus manibúsque crucifixi Domini. Imaginare tibi, te cum Magdalena in monte Calvariæ cruci affusum, ex qua Redemptor tuus pendens copiosum sanguinis imbrem in te depluat; hoc te lava, & omnes peccatorum turpes maculas ac sordes ablue.

5. Rosaliæ in speculo se contemplaturæ non vanitas proprii vultûs, sed viva Christi patientis, & undique largo sanguine diffluentis imago objecta est: aspectus hic unicus eam vim habuit in Rosaliæ animo, ut totam se à mundi vanitatibus avulsam, totam Deo, pœnitentiæ, & austerissimæ vitæ dederit: offer & tu teipsum ad aliquid patiendum, & tolerandum pro Deo, ad ferendam amore JEsu tuam levissimam crucem; scito, viri Ecclesiastici esse, juxta gradum suæ dignitatis, agere & pati fortia ad lucrifaciendas animas tam caro pretio à Christo redemptas.

2. Externis doloribus corporis longè majores, & acerbiores fuerunt interni dolores, & afflictiones, quibus anima Christi in immenso amaritudinum, & tormentorum mari submersa opprimebatur. Quocunque enim oculos in sanguineis lachrymis natantes circumvolveret, in novas afflictionum causas incurrebat; circum crucem videbat carnifices, infra crucem videbat suam

Matrem:

Matrem: supra crucem videbat tuum Patrem cœlestem.

Carnifices sortem mittebant supra Christi pauculas & tenues vestes quid quivis tolleret; nec illos commiserationis sensus erga ipsum doloribus obsitum tangebat, sed potiùs hos, porrigendo ipsi in longa arundine ad restinguendam acerrimam sitim fel & acetum, Judæis se associando, sub cruce obambulantibus, Christum deridentibus, falsis jocis, gesticulationibus, & amaris sarcasmis eum arrodentibus augebant: *Vah qui destruis templum Dei: si filius Dei es, descende de cruce: alios salvos fecit, seipsum non potest.* Matth. c. 27.

Has derisiones & opprobria mordacia augebant duo nequam, sive latrones ob scelera patrata justè ad mortem condemnati, & circa ipsum ad geminandam infamiam unus ad dextram, alter ad sinistram pariter è crucis patibulo suspensi: omnes, quicunque Christum in hoc ferali theatro conspicabantur, inde capiebant solatium, quòd innumeris Christi jamjam exspirantis doloribus etiam publicum contemptum possent adjungere: *omnes videntes me, deriserunt me.* Ps. 21.

Concurrit 2. pariter sed innocentissimè, ad accumulandas internas animæ Christi afflictiones & ærumnas ipsa ejus amantissima, simul tamen afflictissima Virginea Mater: quem dolorem, quale tormentum senserit

hoc

hoc par se invicem tenerrimè ferventissimo, & castissimo amore amantium, dum se invicem attonitis contemplantur oculis, amaris diffluentes lachrymis, sibi invicem valedicere, supremum dare, & accipere Vale!

3. Concurrit tandem & ipse Pater divinus relinquendo Filium voluntati suorum inimicorum, & subtrahendo ipsi penitùs toto, quo torrens rapidissimus tot dolorum, tormentorum, & cruciatuum ejus Corpus & animam inundabat, tempore, quidquid solatiorum, ad tantam malorum magnitudinem, & multitudinem, non dicam tollendam, sed vel parùm mitigandam, & minuendam, desuper concedere poterat, & aliis Martyribus tam abundanter inter sua longè leviora tormenta tam abundanter cœlitus concessum fuerat: nimirum cœlestis Pater volebat, ut suus Filius pro salute totius generis humani amarissimum Passionis calicem non solum usque ad fæces sed una cum fæcibus usque ad fundum solus, sine ulla alicujus dulcedinis admixtione ebiberet, & exaniret.

Disce à Christo crucifixo perseverare in exercitio virtutum omnium etiam tunc, quando tibi omnis subtrahitur consolatio, & spiritualis dulcedo. Christus ex Cathedra crucis omnes te docet virtutes non tam verbis, quàm exemplis, Doctor eximius. Obedientiam te docet inclinato capite; pœniten-

tentiam, lachrymantibus oculis; contemptum omnium dignitatum, & honorum, capite spinis coronato, patientiam generoso ad omnia silentio, sobrietatem, sitibunda lingua, amorem proximi, extensis brachiis, amorem DEI, transfixo corde, paupertatem, nudo corpore, mortificationem, vulneratis membris, perseverantiam, cruci infixis clavis, horrorem peccati, sua morte. Roga, & obsecra ut has doctrinas, has prælectiones tuo cordi profundè imprimat, & insculpat, quæ tanto illi labore & pretiò steterunt. Redde infinitas gratias pro omni eo, quod pro te pati dignatus est; prorumpe pari cum Paulo affectu in hæc verba: *Quis nos separabit à charitate Christi, quis?* ad Rom. 8.

Respice quæsumus Domine super hanc animam meam, pro qua Dominus noster JESUS Christus non dubitavit manibus tradi nocentum, & crucis subire tormentum; qui tecum vivit & regnat &c.



Dies

Dies nona.

Meditatio decima octava.

De gloriosa Christi resurrectione.

SUblatis impedimentis, quæ sunt peccata, & positis fundamentis, sive dispositionibus per imitationem illarum virtutum, quas Christus, dum nobis convixit, exercuit, restat, ut cor tuum accendas veræ & perfectæ charitatis ignibus; & hic scopus, & finis est viæ unitivæ; huc tendant necesse est sacra nostra exercitia; huc collimabunt meditationes adhuc reliquæ, quibus claudetur hæc tua solitudo sacra.

Persolutâ solita oratione præparatoria, præmittes Meditationi sequentia duo præludia.

In primo imaginare tibi, te videre Christum devictæ mortis triumphatorem è sepulchro resurgere ad vitam gloriosam, familiariter agere, & conversari cum suis Apostolis, & ipsis præsentibus ac spectantibus miraculoso volatu terram relinquere, ex monte oliveti cœlis appropinquare, & omnes, etiam supremos transcendere, ut culmen gloriæ adeptus ad dexteram æterni Patris consideat.

In

In secundo pète hanc à Christo gratiam, ut ab ipso discas viam perveniendi ad illum felicem terminum, ubi illum laudes, & benedicas sine termino æternùm beatus, ubi te expectat, coronam, quam præparat, tibi impositurus. Hodie manè uti poteris sequentibus precibus jaculatoriis: *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Job. c. 19. Vel: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne Nomen, ut in Nomine JEsu omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JEsus Christus in gloria est Dei Patris.* ad Philipp. c. 3.

Meditationem divide in hæc tria puncta. 1. Resurrectio Christi. 2. Commoratio Christi in terra. 3. Ascensio Christi ad cœlos.

Punctum primum.

Considera, quòd Christus duplicis generis bona in sua Passione amiserit, aliqua, quæ corpus, alia, quæ animam concernebant, utrumque hoc genus bonorum Christo restitutum fuit cum incremento à Patre Divino in resurrectione sua.

1. Bona corporis, quæ Christo in sua Passione fuerunt erepta, fuerunt varia.

1. Per-

1. Perdidit pulchrirudinem corporis, qua omnes homines antecedebat: *Speciosus formâ præ filiis hominum.* Ps. 44. Ejus vultus fuit deformatus sputis, genæ alapis lividæ, spinis cruentatæ, hinc Propheta in Christo, sibi in extatica visione præsentato, ne similitudinem quidem humani vultus videre visus est. *Non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus.* Isa. c. 53.

Sed pulchritudo hoc modo amissa per dotem claritatis fuit ipsi restituta in quadruplum, quæ vultum Christi tanto splendore, & decore, tantáque majestate ornavit, ut nostrorum sensuum beatitudo in cœlo sit futura: unicus ex ejus vultu erumpens radius lumine ac splendore suo superabit, & offuscabit splendorem omnium simul corporum beatorum, quorum unumquodque ipso sole splendidius erit *in perpetuas æternitates.* Dan. c. 12. In monte Thabor, in quo Christus tenue aliquod specimen futuræ suæ claritatis Apostolis exhibuit: *Resplenduit facies ejus sicut sol.* Matth. c. 17. ita ut Petrus crediderit, montem Thabor in Paradysum conversum fuisse.

2. Amisit Christus tempore Passionis robur & sanitatem corporis, quæ ob perfectissimam temperiem tam firma & valida erat, ut nunquam vacillâsse, aut levissima infirmitate legatur fuisse tentata. Neque hæc sanitatis jactura se ad unam tantùm corporis partem extendebat, sed ad omnia

&

& singula totius corporis membra: *à plantæ pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Isa. c. 1. Verberibus enervatus, flagellis laceratus, spinis transfixus, clavis transforatus.

Sed quod robur, quæ sanitas ipsi ad compensandam hujus jacturam rependitur? tanta velocitas & agilitas corporis, ut hujus ope se in ictu oculi ab uno ad alterum polum hujus universi sine omni mora, sine omni fatigatione, transferre possit, ut velocitati nostrarum cogitationum, vel desideriorum neutiquam cedat: eam subtilitatem, ut nullum corpus quantumcunque durum ac crassum, nec portæ ferreæ, nec montes illi viam obstruere, aut transitum impedire possint, quàm parum hoc fieri potest puro spiritui: eam impassibilitatem, ut vi hujus non solùm nihil ampliùs pati, nullum ampliùs dolorem sentire possit, aut ulli tormento obnoxius sit, sed corporis naturam penitus exuisse videatur, id unum de hac reservans, quod necessarium est ad percipiendas in cœlo sensibiles delicias ad beatitudinem corporis spectantes.

3. Amisit tandem vitam temporalem in crucis patibulo trucidatus, relinquens corpus exanime, non quidem vermibus corrumpendum, attamen sepulchro tenebroso includendum: sed in resurrectione recuperat vitam longè meliorem, vitam non ampliùs morti subjectam, quinimò ipsius mor-

tis domitricem, & triumphatricem: ejus vita est immortalis: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* ad Rom. c. 6.

Christi resurrectio est mortalitatis nostræ triumphus, non ea de causa tantùm, quòd tunc multi mortui cum Christo resurgente resurrexerint, sed ideò potissimùm, quia in ultimo die judicii omnes mortui resurrecturi & per Christum ad vitam revocandi sunt: *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* 1. Cor. c. 15.

Gratulare corpori Redemptoris ob eximias dotes, & prærogativas obtentas, hortare, & anima tuum pariter corpus ad imitationem Christi patientis & morientis, ut imitari & sequi possis gloriosè resurgentem: non horreas aut fugias mortificationem, aut mortem ipsam, ut vita frui possis cum ipso æterna.

II. Bona animæ, quæ Christo tempore passionis erepta & tempore resurrectionis cum maximo incremento reddita fuerunt, erant varia & multa. 1. amisit tranquillitatem, & lætitiam sui sacratissimi cordis in integrum tristitiæ mare demersi specialiter in fatali agonia, quam in horto sustinuit, ubi tam profunda, & tetra fuit tristitia, ut in hæc ad discipulos verba proruperit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Matth. c. 26.

vix

vix levior aut mitior fuit illa tristitia, quæ Christum in monte Calvariæ oppressit, cùm se undique, & ab omnibus omni ope destitutum, & penitùs derelictum vidit: *circumspexi, & non erat auxiliator.* Isa. c. 63. Ab ipso adeo Patre suo cœlesti desertus, & inimicorum suorum in ejus perniciem conjuratorum arbitrio traditus: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquistime?* Marci c. 15. v. 34.

Sed recuperavit in sua resurrectione lætitiam abundanter, nam gaudium beatificum per integros triginta tres annos in superiori animæ parte suspensum perruptis tandem aggeribus & obstaculis, pleno impetu inundavit etiam inferiores animæ potentias, & quidem perenni, & nunquam exiccando, aut obturando fonte aquæ salientis in vitam æternam: secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo *consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ps. 93. Jam se videt stipatum à turmis Angelorum, quem priùs circumdabant cohortes lictorum, videt se adorari à Sanctis, quem priùs subsannabant mordaciter derisores.

2. Amisit omnem æstimationem, famam, & honorem, instar mancipii habitus, instar jumenti vilipensus, instar luti protritus, latronis & furis instar condemnatus, cruci suffixus tanquam blasphemus, tanquam populi seductor, ut illud Prophetæ Thren. c. 3. *Saturabitur opprobriis*, impleretur, quam-

vis enim ignominiarum esset famelicus, & appetentissimus, tamen usque ad nauseam his fuerit satiatus.

Sed magno cum lucro redditus illi fuit honor, cum fama & æstimatione ablatus, nam in Resurrectione inceperunt homines agnoscere eum pro Deo mortis triumphatore, cui non solùm in cœlo & in terra, sed in ipso etiam inferno omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur, quòd sedeat ad dextram Patris Divini gloria & Majestate ipsi par & æqualis.

3. Perdidit omnem amorem & affectum discipulorum erga se, nam ex his aliqui eum negârunt, & ejurârunt, alii prodiderunt, alii fuêre sandalizati, alii eum coram hominibus confiteri erubuerunt, omnes denique eum deseruerunt, & ignavam fugam arripuerunt. *Omnes relicto eo fugerunt.* Matth. c. 26.

Sed post Resurrectionem revixit pariter longè intensior & solidior affectus antea extinctus Apostolorum erga Christum: hi non solùm frequentibus Christi redivivi apparitionibus, sed longè magis à Spiritu Divino, quo die Pentecostes repleti, & accensi fuerunt, animati, in publicum, prodierunt in foris & compitis Christi gloriam divulgantes, ejúsque divinitatem imperterritè etiam coram Regibus, & tyrannis defendentes, exierunt in omnem terram, totúmque mundum dispersi, Christi Nomen annun-

annuntiaturi, & de ejus Resurrectione testimonium perhibituri; habuêre innumeros sequaces, novæ Religionis cultores, & Christi adoratores, cum quibus sanguinem profuderunt & vitam in confirmationem Evangelii, & doctrinæ ab ipsis propagatæ, & amoris, quo Christum, ejúsque sanctissimam legem complectebantur. Hoc modo omnes quorumcunque bonorum jacturæ, quas Christus passionis suæ tempore passus est, abundantissimè & cum ingenti lucro compensatæ fuerunt.

Si his omnibus ritè perpensis cor tuum præ lætitia non exilit, non gaudio, & solatio diffluit, certum indicium est, te parum & frigidè amare Redemptorem tuum: exultare te oportet, ipsíque ex animo gratulari victorias, & triumphos cum tanta sua gloria ubique obtentos, simul tecum reputare, quanta sint præmia quibus abundanter compensat aliorum merita, qui amore JEsu sua, etiam modica vel minimum quid reliquerunt. Certus esto, Deum se vinci non sinere à nostra liberalitate; dat pro uno centum, minimum nostrum laborem aut obsequium remuneratur mercede millies majore, & hujus pretium infinities excedente: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam* ad Rom. c. 8.

Punctum secundum.

Considera moram, quam Christus post suam Resurrrectionem in terris per quadraginta dies traxit; quamobrem Christum tamdiu in terris hærere voluisse putas, cùm tamen locus corpori glorioso proprius esset cœlum? Credibile est, Christum non aliam ob causam diutius in terra commoratum fuisse, quàm ut discipulos suos ob præterita etiamnum afflictos & consternatos consolaretur, & erigeret, ut de rebus futuris sollicitos animaret, ut rudes & ignorantes in rebus æternis & Divinis instrueret.

1. Duplici de causa èrant discipuli Christi afflicti, nimirum tum propter seipsos, tum propter Christum. Cur se adhuc affligerent causa erat, quod sibi conscii & memores essent ignavissimæ fugæ, & transfugii tempore passionis arrepti: propter Christum, quia etiamnum ob oculos ipsis versabantur injuriæ & cruciatus, quibus optimus & divinus eorum Magister ab impia synagoga affectus, & ignominiosa ac crudelissima mors, qua sublatus fuerat.

Justæ, & piæ sunt hæ duæ causæ tristandi: tristari propter peccata propria, est tristitia pœnitentiæ; tristari propter peccata aliena quibus Deus offenditur, est tristitia justi zeli. Quam causam, quam originem habent

habent tuæ tristitiæ & animi afflictiones? fortassis defectum tuarum commoditatum, & voluptatum; fortè affligeris, quia beneficium vel officium, quod certò sperabas, & ambiebas, non es consecutus, sed æmulo tuo postpositus fuisti, quia pensionibus, vel debitis oneratum te sentis, quia domestici se tibi ingratos exhibent, & pro beneficiis tibi maleficia reddunt. O tristitias non solùm inutiles, sed etiam noxias corpori & animæ! de his tristitiis loquitur *Ecclesiasticus c. 30. multos occidit tristitia, & non est utilitas in ea.* Sub his umbris & nebulis se abscondit & dormit diabolus: *sub umbra dormit.* Job. c. 40. & paratas habet sagittas, quibus te transfigat: *Paraverunt sagittas in pharetra, ut sagittent in obscuro.* Ps. 10.

Si tristitiam justam & sanctam cum Apostolis admittis, in amore Dei radicatam, aderit suo tempore Deus ad te consolandum, sic enim etiam cum Apostolis egit sæpiùs. Ita solatus est Petrum trinam negationem amarè deflentem, sic solatus est & Magdalenam plorantem ad sepulchrum: sic solatus est binos discipulos in Emmaus peregrinantes, cum amaritudine, & acerbo animi dolore Christi patientis lugubrem historiam invicem recoquentes. In hac, similíque tristitia semper invenies consolationem. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. 5. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Joan. c. 16.

2. Timidi & solliciti erant discipuli de rebus futuris. Optimè nôrant Pharisæorum lupinam rabiem, unde non immeritò timebant, ne, postquàm hanc in Pastorem effuderant, contra gregem pariter verterent, hinc clausi latebant, nec in publico comparere audebant. Ut animos ipsis adderet, & timorem abstergeret Christus à morte resuscitatus sæpiùs se ipsis præsentem stitit, solitus semper succurrere illis, qui propter justitiam persecutionem patiuntur: nec aliud quid frequentiùs repetiit, quàm dulce id: *nolite timere.* Luc. c. 24. Matth. c. 28. addit promissionem, quod illos velit munire superna, ac cœlesti fortitudine, *virtute ex alto.* Luc. c. 24. nimirum illo spiritu divino, qui novit omnem timorem, & imbecillitatem mutare in fortitudinem.

Et reipsa, postquàm spiritus Paraclitus super illos *venit*, ex timidis lepusculis in intrepidos leones mutati, prodierunt ex cœnaculo, Evangelium, & Christum crucifixum publicè, & aperta fronte prædicaverunt coram populo turmatim accurrente, nec minis territi, nec derisionibus, nec verberibus, nec morte ipsa, imo sibi lucro, gloriæ & honori duxerunt, inter mille ludibria, & tormenta pro Christo dilectissimo suo Magistro mortem oppetere.

An & tu ex illo sacerdotum numero es, qui æquô meticulosiores humanis ducuntur respectibus, silent, quando loquendum esset,

esset, qui dissimulant scandala, ne incurrant indignationem & odium potentium? Ubi liber & imperterritus sacerdotis animus? ubi robur pectoris? ubi constantia & fortitudo Apostolica? ubi sanctitas impudens, & sancta impudentia, quam Christus exigit non solùm inter opprobria & contemptus, sed in ipsa morte: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* Matth. c. 10.

Roga Deum, ut te mutet eodem modo, quo mutavit Apostolos, auferens de corde tuo metum, & de vultu tuo ruborem, ut te reddat piè ac sanctè impudentem & effrontem, quando agitur de obsequio & honore divino, & de salute animarum tuæ curæ commissarum: temperare tamen oportet zelum indiscretum prudentiâ sed non illa prudentia, quæ vocatur prudentia hujus sæculi, & prudentia carnis; *nam prudentia carnis mors est.* ad Rom. c. 8. sed illa prudentiâ, quam Christus laudat & requirit in servis suis fidelibus: *Fidelis servus, & prudens.* Matth. c. 24.

3. Erant Apostoli in rebus & mysteriis divinis necdum satis instructi. Eousque speraverant, Messiæ regnum fore temporale, & de hoc mundo; à Messia Israëlem jugo & servituti Romanorum eximendum, pristinóque flori, ac statui, in quo fuerat sub Davide, & Salomone, restituendum: hanc suam opinionem satis clarè expresserunt

duo illi discipuli, quibus in Emmaus euntibus se Christus associaverat: *nos autem sperabamus, quòd esset redempturus Israël.* Luc. c. 24.

Innitebantur, & dirigebant se principiis & dogmatibus hujus mundi, ita ut inter se contenderent, qui inter ipsos alterum dignitate præcederet, *quis eorum videretur esse major* Luc. c. 22. Apostolorum. Ambiebant in regno Christi, quod temporarium credebant, prima subsellia: *unus ad dexteram, & unus ad sinistram in regno.* Matth. c. 20. Alii à Samaritanis rejecti in vindictam exarserunt tam acrem, ut à Christo peterent, è cœlo ignem tam crudorum hominum totiúsque civitatis devoratorem deplueret, *vis dicimus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos* Luc. c. 9. Alii dissuadebant, & procul à passione ac cruce, tanquam à re probrosa, & summè dedecente Christum volebant remotum: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Matt. c. 16.

Ut tam crassa ignorantia liberarentur, opus erat divinâ sapientiâ, quæ illos doceret, & instrueret, qui totius mundi debebant esse Magistri & Doctores, hunc in finem Christus post suam resurrectionem tam diuturnam in terris traxit moram: *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Act. c. 1. Hæc ergo erat occupatio Christi toto hujus in terra commorationis tempore, Apostolis explicare doctrinam Christianam, dogmata

fidei,

fidei, formam & materiam Sacramentorum, aperire mentis oculos, ut mysteria abstrusiora cognoscerent; *aperuit illis sensum, ut intelligerent.* Luc. c. 24.

Esne & tu ex illis Ecclesiasticis superbis & fastuosis unus, qui in ea sunt opinione, dedecere dignitatem suam, se demittere ad pueros, vel abjectam rudémque plebem in rudimentis fidei, & modo ritè vivendi, instruendam? Postquam Christus jam gloriosus hoc munus in se suscepit, & exercuit, sanctâ aliqua ambitione id tibi avidè expetere præ cæteris, & arrogare deberes tanquam unam ex præcipuis officii tui functionibus. Promitte redemptori te hoc pium & verè Apostolicum ac statui tuo tam proprium exercitium unicè cordi, & curæ habiturum.

Cùm autem per considerationem præsentem inveneris, Christum resuscitatum se totum impendisse exercitio operum misericordiæ tam corporalis, quàm spiritualis, & hujus præcipuè, ùt sunt, afflictos consolari, pusillanimes animare & erigere, rudes & ignaros docere; Examina teipsum, an & quomodo exerceas ejusmodi & alia opera charitatis, & siquidem te in his deficere deprehendas, deplora tepiditatem ac frigus tui cordis, & serium propositum concipe majori, ac duplici fervore priorem torporem imposterum emendandi.

Pun-

Punctum tertium.

Considera in Christi ad cœlum ascensione tres circumstantias 1. Locum. 2. Modum. 3. Finem hujus Ascensionis.

1. Locus, unde ascensionem suam versùs cœlum orditur, est mons oliveti, is ipse nimirum mons, in quem se Christus recipere solitus erat noctu ad orandum, & in quo pariter principium dedit amaræ suæ passioni, fatalem sufferendo agoniam, & copiosum sanguinem sudando.

Si mysterium penetras, hoc facto Christus te docere & monere voluit, gradus, per quos ad cœlum est eluctandum, esse orationem, & mortificationem. Hæ sunt duæ alæ, quarum perpetuo usu in hac vita, ad æternam quietem provehimur in altera vita; una ex his alis succurrit alteri, nam mortificatio est necessaria dispositio ad orationem! oratio verò est necessarium medium perveniendi ad perfectam mortificationem: si vel una tantùm ex hoc alarum binario desit, non poteris evolare ad cœlum juxta vestigia Christi in hunc finem tibi relicta in monte Oliveti impressa.

Oratio necessaria est, eò quòd perseverantiam finalem, ex qua salus nostra æterna dependet, non mereri, sed tantùm per ferventem & assiduam orationem impetrare possu-

possumus: oportet semper orare, & numquam deficere. Mortificatio est necessaria, eò quòd Deus ita disposuerit, & velit, ut æterna beatitudo sit merces tuis laboribus, & sudoribus debita, & non solùm gratiæ tuis precibus impetrata, & obtenta: *non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Matth. c. 7.

Tu igitur, cùm sis templum S. Spiritûs vivum, in teipso duo altaria illis, quæ in templo Salomonis visebantur similia, erigito: unum ex his stabat extra templi fores, ubi mactabantur animalia pro sacrificiis: alterum in templo, & intra ipsa Sancta Sanctorum, ubi adolebatur incensum ex variis pretiosis aromatibus confectum. Ita & tu construere debes unum altare intra tuum cor, in quo offeras incensum tuarum orationum; alterum extra cor tuum, in corpore tuo, in quo immoles victimas mortificationis. Roga Deum, ut acceptas habeat has binas oblationes, & has unias, atque conjungas cum illis, quas Christus fecit in monte oliveti, tanquam dispositiones, scalas, & alas necessarias saliendi, & evolandi ad cœlum.

2. Modus ad cœlum ascendendi id habuit speciale, quòd Christum ingens numerus animarum ex limbo eductarum, aliquarum in Christi resurrectione etiam resumpto ex sepulchris corpore vestitarum, ac

bea-

beatarum comitatus sit: *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem* ad Ephes. c. 4.

En tibi graphicè descriptum & ob oculos positum modum, quem in sua in cœlum ascensione observare debet vir Ecclesiasticus, nimirum ne unquam solus, sed magno animarum inferno à se ereptarum comitatu stipatus hoc arduum, ac cœleste suscipiat, & conficiat iter: hunc in finem cura ipsi commissa est dispensandi divina mysteria, & parvulis frangendi panem.

Væ illi Ecclesiastico, qui omnem curam, & sollicitudinem in eo ponit, ut solùm suam in tuto collocet, & salvet animam, de aliarum animarum salute parùm sollicitus, nam talis præcipuæ officii sui parti, & obligationi deest. E contrario qui eas, quas habet vires, impendit procurandæ saluti animarum duplam refert in cœlo gloriam, juxta parabolam Evangelicam de talentis: Erit magna gloria essentialis respondens merito operis, quo animam ad salutem pertrahis, vel saltem pertrahere conaris; superat hoc eleemosynæ cujuscunque etiam largissimæ pretium, teste D. Chrysostomo, longissimè: *Etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam.* Hom. 3. Magna pariter erit gloria, quam referet, accidentalis, cùm enim Paulus tantum solatium & gaudium exinde percepit, quòd suis oculis cerneret suos Philippenses à se ad Christum

stum conversos, ut exclamaret; *Gaudium meum, & corona mea, vos estis gloria nostra, & gaudium.* ad Philip. c. 4.

Imaginare tibi, quale & quantum futurum sit tuum gaudium ac solatium in cœlo, cùm te circumdatum cernes magna cœlitum turma, à te ad cœlestem patriam perductos & è diverso, quantum erit tormentum in inferno audire ejulatus, & maledictiones animarum tuâ culpâ, & negligentiâ æternùm damnatarum.

3. Finis, propter quem Christus ad cœlos ascendit, est, ut fidem nostram ad perfectionem perducat, spem confirmet, & restabiliat, charitatem inflammet: Fides versatur circa objecta, oculis abscondita: *Argumentum non apparentium,* ad Hebr. c. 11. & beati dicuntur illi, qui non vident, & tamen credunt. Christus ad sidera evolans, se nostris subduxit oculis: atque ita nostram fidem ad summam perfectionem perduxit, quâ firmissimè credimus, quòd Christus in throno suæ gloriæ sedeat ad dexteram Patris æterni, quamvis hoc non videamus.

Spes nostra solidatur, videns, Christum ascendisse ad cœlos, ut nobis præparet habitaculum: *vado parare vobis locum.* Joan. c. 14. Adiit possessionem gloriæ non tantùm pro se, sed tanquam nostrum caput, etiam pro nobis: *quò præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis. Leo* Serm. 1. de Ascens. Ille nobis aperuit paradysum hactenus peccati

vecti-

vectibus oppessulatum, & illuc nos invitat, quò ipse præcucurrit: *præcursor pro nobis introivit JEsus.* ad Hebr. c. 6. Quam solidam non oportet esse spem nostram, si nos in persona Christi jam actu assidemus illi æternarum deliciarum mensæ? *Consedere nos fecit in cœlestibus* ad Ephes. c. 2. Si ibi exercet officium Advocati apud Patrem pro nobis perorando tot linguis, quot vulneribus semper facundis: *semper vivens ad interpellandum pro nobis*: ad Hebr. c. 7.

Charitas nostra revirescit, & effervescit, quoniam affectus, & amores nostri à terrenis avulsi cum Christo ad cœlum avolante in cœlum evecti sunt: *quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est* ad Coloss. c. 3. Si Christus stabilem in terris sedem fixisset, æquum nobis videri posset, hanc vitam amare, ut ita cum Christo maneremus ipsique adhæreremus: sed dum è terris discedit, exemplo nos docet, nihil esse in hoc mundo dignum amore nostro: De cœlo misit effudítque Spiritum sanctum, qui est spiritus amoris, super Ecclesiam suam, ut in hac accenderet, & restauraret ignem charitatis: jam multiplices & plurimos elice actus firmissimæ fidei; invictissimæ spei, ardentissimæ charitatis, & huic Meditationi coronidem impone sequente oratione:

Deus, qui per unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reserâsti; vota nostra,

nostra, quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere, per Christum &c.

Dies decima.

Meditatio decima nona.

De Paradyso.

POst orationem præparatoriam sequentia duo formabis præludia.

Primò: imaginare tibi cœlestem Jerusalem, civitatem DEI prout describitur à sancto Joanne in sua Apocalypsi c. 20. civitas ex puro, & obryzo auro extructa; ejus fundamenta ex pretiosis lapidibus; ejus portæ ex meris unionibus, & margaritis, quam intersecat mediam flumen, idque vitalis; pellucidæ instar christalli; illuminata à claritate Dei, nec opus habet solis aut lunæ splendoribus, absque tenebris, absque omni nocte, omni umbra, & obscuritate, absque omni macula. Incolæ cœlestis hujus urbis perpetuis affluunt gaudiis, semper illustrati lumine gloriæ, quod nunquam occidit, multò minùs extinguitur.

Secundò. Pete à Deo gratiam, ut in sacri Paradysi adyta nunc quidem solo animi intuitu, & cogitatione, suo autem tempore etiam cum anima & corpore admittaris: in hunc finem adhibe sequentes preces jaculatorias, quibus etiam toto hoc tempore matutino uti poteris: quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! *concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini* Ps. 33. Vel: *melior est dies una in atriis tuis super millia.* Ps. 83. Vel: *satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Ps. 16. Vel: *quando veniam, & apparebo ante conspectum Domini.* Ps. 41.

Dividatur Meditatio in hæc tria puncta. 1. Paradysus est bonum & gaudium purum nullâ mistum malitiâ, aut tristitiâ. 2. Bonum summum. 3. Bonum æternum.

Punctum primum.

Considera, paradysum esse bonum purum, id est ab omni malo defœcatum. Quanto pretiosior & sublimior res aliqua est, tanto faciliùs concipitur, & explicatur per terminos negativos quàm per affirmativos. Cùm magnitudinem Dei immensam capere non possimus, ideò ad illam meliùs concipiendam, solemus illam explicare negando, & removendo ab ipso imperfectiones, quæ creaturis insunt, meliùs asserendo quid non sit, quàm dicendo quid sit: nimirum, quod

nullus

nullus inveniatur intellectus creatus, qui Deum comprehendat, nullus locus, qui illum circumscribat, aut includat, nullum tempus, quod illum metiatur, aut ejus durationem æternam adæquet, independens, nulli obstrictus, nullius egenus, immutabilis in suis sententiis, indefectus in suis perfectionibus: pari modo faciliùs concipies, quid sit æterna beatitudo, si removeas ab ea omnes miserias huic mortali vitæ proprias, quæ ad duplicem classem reduci possunt.

Imprimis in cœlo locum non habet malum culpæ: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, vel abominationem faciens.* Apocal. c. 21. In cœlo non reperitur ullum vel minimum periculum, vel occasio peccandi, non solùm ideo, quia beati sunt confirmati in gratia, quo privilegio etiam Apostoli post festum Pentecostes gaudebant, sed quia ipsa Beatitudo per visionem beatificam, quam ex natura sua secum trahit, reddit ipsos impeccabiles; nam hæc vis suavissima necessitat ad amorem tam perfectum, qui omnem, & qualemcunque culpam etiam levissimam excludit.

Si ex præcedentibus meditationibus horrorem, & odium justum peccati concepisti, si contremiscis ad pericula, quibus te circumdatum cernis, in peccata incidendi, gaude & plaude tibi ipsi. Veniet dies illa, veniet

dies æterna, qua non peccabis ampliùs, nunquam ampliùs eris in ullo periculo peccandi, ſecurus, quòd nunquam ampliùs rupturus ſis ſuave illud vinculum amicitiæ, & fidelitatis, ad quam uſque ad ultimum halitum conſtanter ſervandam te DEO ſanctè obſtrinxiſti.

O quam pulchrum, & ſuave eſt! habitare in civitate ſancta, prout in Apocalypſi vocatur cœleſtis urbs Jeruſalem, cujus incolæ omnes ſunt ſancti, ſe omnes invicem amant teneriùs & ſinceriùs quàm fratres, omnes & ſinguli magìs gaudent de alterius felicitate, quàm de propria, ubi nullæ timendæ malevolorum calumniæ, nulli hoſtium vel inimicorum aſſultus, nullæ proditiones falſorum fratrum, fictorum amicorum deceptiones; unde exulant omnes contentiones, prætenſiones, æmulationes, invidiæ, odia, rancores, æternùm exeſſe jubentur diſcordiæ, diverſa partium ſtudia, ſeditiones populi, bella exterorum?

Finge tibi civitatem in hoc mundo, in qua omnes vitam ſuam dirigerent juxta regulas ac dictamina rectæ rationis, & legis tam naturalis, quàm divinæ, in qua nihil unquam audiretur de furtis, homicidiis, de ullis diſſenſionibus, injuriis, æmulationibus, oppreſſionibus inferiorum, atque adeo omnes fruerentur perpetua, & amœniſſima invicem pace. Quis non optaret talis civitatis perpetuus eſſe incola? hæc in

terris

terris non invenitur, sed solummodo in cœlis, ubi fruuntur incolæ beati perpetua pace invicem inter se, & cum Deo.

2. In cœlo nec malum pœnæ ullum locum habet. Pœna sequitur culpam, sicut umbra corpus: ubi nullum est corpus, nulla est umbra; ubi nulla est culpa, nec minima culpæ reliquia, necessariò consequitur, nihil pariter cujuscunque demum pœnæ itidem reperiri posse. Triplicis generis pœnæ in hoc mundo enumerantur; ærumnæ & angustiæ animi, morbi corporis, ipsa mors, quæ separat animam à corpore: & omnes hæ pœnæ filiæ & appendices sunt peccati, quod fusè explicatur in Deuteronomio c. 28. In cœlum, sicut nullum penetrare potest peccatum, ita nulla pariter ex triplici illarum pœnarum genere potest ingredi. Nullæ itaque ibi erunt ærumnæ, vel animi afflictiones, quæ perturbent æternam illam tranquillitatem.

Quot afflictiones internas non sustinuerunt Sancti in hac vita, aliquas propter mala præterita, & erant afflictiones & amaritudines salubris suæ pœnitentiæ: alias propter mala præsentia, & erant amari dolores, quos sentiebant ob nimis diu protractam moram in hoc exilio, & exclusionem à cœlesti patria; aliæ propter mala futura, & erant timores non inanes, ne inter tot pericula, & insidias salute æterna exciderent. Nulla ex his, vel etiam aliis afflictionibus

internis in terra exantlatis cum Sanctis in cœlum admittitur: non pœnitentium lachrymæ, nam *Deus absterget omnem lachrymam ab oculis eorum*: non luctus, neque clamor, neque dolor hujus exilii, nam in cœlesti patria *non erit ultra.* Neque timor Deum perdendi in æternùm, nam Deus eos reddidit certos & securos, *quoniam habitabit cum eis, & ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Apoc. c. 21. Cernent damnatorum horrendas pœnas ex loco securo, sicut qui ex alto montis vertice ridens contemplatur extra omne periculum positus sævientis maris frementes tempestates: videbunt igneo submersos mari reprobos, nec ad ullam commiserationem commovebuntur ob eorum tormenta, quin potius gaudebunt, videntes quòd ita à divina justitia vindicentur & castigentur tot enormes injuriæ, & offensæ DEO suo optimo maximo illatæ.

2. Ibi nullos erit invenire morbos, vel corporis infirmitates? Quot & quàm acerbas non tolerârunt Sancti in hac miseriarum valle; aliquas conditioni corporis mortalis, & fracidi annexas, ùt sunt dolores, labores, defatigationes, debilitatio virium, morbi, calor, frigus, fames, sitis: sed hæ miseriæ omnes in glorificato corpore cessabunt: *Non esurient amplius, neque sitient, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus.* Apocal. c. 7.

Aliis

Aliis afflictionibus se Sancti, dum viverent, se sponte ipsimet subjecerunt, ut commissa sua peccata castigarent, & expiarent, tales erant, carnis macerationes, jejunia, cilicia, flagella, vigiliæ, solitudines, aliæque asperitates variæ, & plurimæ, sed & hæ omnes finito pœnitentiæ tempore finientur pariter: *fugiet dolor & gemitus.* Isa. c. 51.

Aliæ fuerunt adversitates, & cruciatus, quos sancti Martyres, & Confessores Christi tolerârunt in vita à tyrannis, fidei Catholicæ, virtutis, & omnis sanctitatis inimicis, & persecutoribus, sed & hi finem habebunt, cùm persecutorum cruenta rabies in cœlestes illas beatásque sedes penetrare, aut pedem inferre non possit: *non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam.* Isa. c. 35.

Ibi non erit mors, nam corpus vestietur incorruptibilitate: *oportet incorruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* 1. Cor. c. 13.

Itaque quemadmodum prædestinatio Electorum instituta est juxta idæam prædestinationis, qua Christus fuit præordinatus, & prædestinatus, cùm ipse sit causa idæalis omnium prædestinatorum: ita electorum resurrectio elaborata est juxta exemplar & prototypon resurrectionis JEsu Christi, qui ab Apostolo vocatur *primogenitus ex mortuis.* ad Coloss. c. 1. *Primitiæ dormientium.* 1. Cor. c. 15.

Christus post quàm morte devictâ redivivus è sepulchro resurrexit nihil ampliùs habet,

quod ampliùs à morte timeat: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur &c.* ad Rom. c. 6. Sic & prædestinatus postquàm semel ad vitam à morte rediit, nunquam ampliùs moritur.

Præmissis his considerationibus, fatere, & edicito clarè: si in hoc mundo reperiretur locus, qui nullis unquam obfuscaretur nubibus aut nebulis, nullis turbaretur bellis, aut discordiis, nullâ premeretur penuriâ, nunquam vexaretur aut frigore, aut calore nimio, nunquam infestaretur morbis, nec senectute nec infortuniis, nec ipsa morte; quis esset, qui non omnem conatum adhiberet, ut & ipse tam felicis regionis incola esse posset; tu quoque nulli parceres labori, cum gaudio celerrimè emetireris etiam difficillimum, & summè arduum iter, dummodo ad tam beatum locum duceret: Et durum tibi, nimisque arduum subinde videbitur leve aliquid, & momentaneum patienter sufferre, ut cœlum ingredi liceat, ubi nihil, nihil nec minimum quid per totam æternitatem patiendum erit?

Punctum secundum.

Considera, quòd æterna beatitudo in cœlo sit bonum summum sive respiciatur ejus causa objectiva sive effectiva, sive materialis.

1. Causæ tuæ beatitudinis objectiva est ipse Deus, qui solus sua bonitate infinita per-

fectè

sectè satiare potest cor creatum, juxta doctrinam S. Thomæ 1. 2. q. 3. art. 1. & omnium Theologorum: *Ego merces tua magna nimis.* Gen. c. 15. Potésne tu desiderare aliquid majus, quàm ut per possessionem illius ipsius boni fias beatus, per quod Deus redditur beatus? illa ipsa frui voluptate, qua se satiat ipsa sanctissima Trinitas? tu illi ipsi assidebis mensæ, cui Deus assidet; tu cum ipso bibes ex eodem fonte, comedes cum ipso eundem cibum ex eadem quadra: *edetis, & bibetis super mensam meam in regno meo.* Luc. c. 22.

Haud dubie tua beatitudo longè inferior erit beatitudine, qua Deus fruitur, non tamen propterea erit diversum objectum beatificans, sicut longè tenuior, & minor est lux lunæ, quàm lux solis, quamvis non sit lux diversa, est quidem diversa lucis quantitas, non tamen qualitas; sic eadem quidem qualitate ciborum vescuntur principum filioli regiæ mensæ assidentes, quâ principes, & regii genitores, non tamen eadem quantitate, sed certo dimenso.

Et tu interim tam demens sis, ut tuam felicitatem quæras & colloces in possessione & fruitione bonorum terrenorum, dum facilè potes pertingere ad possessionem & fruitionem ipsius DEI omnia bona in se continentis?

Si Deus Beatis in cœlo divinum suum vultum gradatim ostenderet, si suas divinas &

innnitas perfectiones sensim & per partes detegeret, posset illos novis semper spectaculis pascere, & recreare per totam imposterum æternitatem admiratione attonitos, & in extasin præ gaudio raptos. Quis capiat, quid sit, & futurum sit, his omnibus gaudiis frui simul, his spectaculis pasci uno eodémque tempore, possidere conjunctim totum hoc immensum pelagus omnium imaginabilium bonorum & gaudiorum nunquam exhauriendum?

Tu stulti papilionis instar obscura exiguæ candelulæ inescatus luce tam cœco circumageris amoris impetu, ut tandem in eo ambustis alis fœtentem, & ardentem invenias tumbam; dum deperis, peris, cùm interim posses instar aquilæ ponere in cœlis nidum tuum, & figere oculos in divinum solem, in æviternum Patrem luminum. Excita languentem & semimortuàm fidem tuam, ut tibi tam magna & vasta bona demonstret; spem acue, ut firmissimè ea expectes; charitatem inflamma, ut te animet, ad ea facienda & ferenda, quæ mereantur hæc præmia immensa & æterna.

2. Causa efficiens æternæ tuæ beatitudinis est ipsemet Deus, qui lumine gloriæ debilem hominis intellectum roborans, capacem reddit cognitionis intuitivæ summi boni, & hoc possidendi per totam æternitatem. Deus est summum bonum, & sicut omne bonum est communicativum sui, Deus

est

est summè communicativus sui, & est propensissimus ad benefaciendum omnibus, suáque bona & dona impertienda? cur ergo adhuc in terra non pleno cornucopiæ in nos liberalissimè effundit suas gratias, scisne causam?

Tria sunt obstacula, quæ ejus liberalem, & beneficam manum inhibent. Primum est, peccatum, quod limites ponit immensis favoribus, quibus nos cumulare cuperet inexhausta Dei beneficentia: In paradyso terrestri, quamdiu Adam in statu justitiæ originalis, & innocentiæ, ab omni peccati obstaculo vixit, quo gratiarum diluvio eum non inundavit?

Secundum obstaculum est mixta in hoc mundo cohabitatio justorum cum peccatoribus, ob hanc Deus sæpe non utitur tota ea familiaritate & liberalitate cum justis, ad quam suus eum genius, & propensio nobis benefaciendi impelleret, sicut è contrario non rarò accidit, ut justi in aliqua regione vel urbe injustis & reprobis permixti conceptum, jámque prorupturum in acerrimam vindictam exacerbatæ Divinæ Nemesis furorem sistant, & extinguant: hinc si decem tantùm justi in infelici Sodoma inventi fuissent, hic ipse pusillus grex suffecisset ad arcendas, & extinguendas devoratrices flammas, quas vindex cœlum ad castigandas, & abolendas urbes illas infames depluit. Non rarò pariter etiam contrarium

evenit,

evenit, ut peccatores justis permixtim conviventes claudant exundantes cœli, divinæque misericordiæ cataractas, & super provincias, & urbes jamjam effundendos gratiarum imbres, & voluntarias favorum pluvias avertant & impediant.

Tertium obstaculum ponitur ab ipsismet justis, qui quamvis justi sint, non tamen suis carent imperfectionibus moralibus, & istæ quoque, quamvis longè minore robore, obstruunt divinæ liberalitati aditum, eique manus stringunt, ne tam largè, ut optaret, sua nobis munera dispenset.

Sed in cœlo omnia hæc obstacula erunt sublata, nam ibi nullum, nec minimum stabulatur peccatum, nulla ibi permixtio peccatorum cum justis, nulla ibi labecula, vel imperfectio justis inhærens, unde sublatis omnibus obstaculis, omni semoto obice tam divinæ bonitati, quàm divinæ beneficentiæ, plenô alveô se divini favores in Beatorum corda effundent, & eos non jam guttatim solatiis irrorabunt, sed torrente voluptatum potabunt, ùt David Ps. 33. prædixit: *Torrente voluptatis tuæ potabisеos, & inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*: ebrii, pleni, superpleni gaudia & solatia jam non haurient, sed ab ipsis haurientur, ita ut in seipsis capere non possint gaudiorum excessum, quo obruentur, unde dici poterit, non quòd gaudium in ipsorum cor intraverit, sed quòd cor immersum fuerit in im-

immensum gaudiorum mare: *intra in gaudium Domini tui.* Matth. c. 25. En quousque liberalitatis, ne dicam prodigalitatis Deus perveniat ut suos Electos remuneretur.

Ut hoc meliùs intelligas & capias, hæc duo attentè perpende. Deus in hac etiamnum vita largis compensat præmiis opera quædam moraliter honesta, quamvìs mortua, charitate, & gratia sanctificante, quæ est omnium nostrarum actionum vera vita & anima, destituta, etiam peccatorum, suorum inimicorum: ut ejusmodi actiones remuneraretur antiquis Romanis Imperium contulit totius fermè orbis, si D. Augustino credimus: jam cum eodem sancto Doctore conclude, quæ, & quàm pretiosa erunt præmia, quibus Deus amicorum suorum remunerabitur actiones sanctas, vivas, in statu gratiæ peractas, dic cum ipso: *Quid dabit Deus iis, quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit illis, quos prædestinavit ad mortem?*

Deinde cogita, si Deus ex sua natura longè magìs propensus ad præmiandum, quàm ad puniendum, supra damnatos in inferno integrum variarum pœnarum diluvium effundit, ut in meditatione octava explicatum est, & tamen hos punit *citra condignum*, quod, & quàm grande diluvium consolationum, & gaudiorum non depluet ex alto super Electos de se tam benè meritos *ultra condignum.* Itaque novos tibi summè

ani-

animos, Deo Optimo Maximo ſerviendi majore quàm unquam aliàs fervore, & amore, omnibus viribus impoſterum qui tanta liberalitate, & munificentia remuneratur obſequia etiam minima, quæ ipſi exhibentur.

3. Cauſa materialis tuæ beatitudinis erunt facultates & potentiæ non ſolùm animæ ſpirituales, ſed etiam corporis materiales. Verum quidem eſt, veram beatitudinem, hujusque ſubſtantiam ſuam ſedem in anima habituram. Intellectus intuebitur Deum in ſeipſo immediate, nulla intermediante ſpecie creata, ſed ipſa eſſentia divina ſeipſa menti tuæ conjuncta officium ſpeciei creatæ intelligibilis ſubibit, & omnem hujus neceſſitatem excludet, ita ut Deum cognoſcas eo modo, quo Deus ſeipſum cognoſcit: *ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* 1. Joan. c. 3.

O quot veritates naturales, & ſupernaturales in Deo videbis: in unico momento millies doctior evades, quàm Platones, Ariſtoteles, & Auguſtini. Tu, cùm ſis Eccleſiaſticus, diu inſudabis libris, ut ſcientiam aliquam diſcas, & ſæpè nihil diſces aliud, niſi quòd tandem cogniturus ſis, te nihil ſcire. Tunc in momento unicò in Verbo diſces omnes, omnes ſcientias ſine omni labore, & difficultate, & ſuperabis omnem omnium doctorum qui hactenus in terra fuerunt, ſunt, & erunt, ſubtilitatem ingenii, ſapi-

sapientiam, & doctrinam, quæ tuæ tunc haustæ scientiæ comparata erit pura ignorantia. Voluntas tua possidebit in DEO omne bonum, tam profundè immersa divinæ felicitati, amicitia tam arcta Deum inter, & eam intercedente, ut Deus gavisurus sit tantùm de ejus felicitate, quantùm de propria, vicissim & ipsa millies liquidius sentiet gaudium de felicitate Dei, quàm de propria, qua fruitur. Nullum concipies desiderium, quod non statim implebitur, nam divina bonitas infinita promptitudine obsecundabit omnibus tuis propensionibus, & inclinationibus: totus in Deum absorptus vitam vives divinam, & ferme instar alicujus Dei habeberis: *dabo ei sedere mecum in throno meo.* Apoc. c. 3.

Si unica guttula ex mari tuorum gaudiorum, tuæ felicitatis in ipsum infernum deflueret, Augustini judicio, pœnas illas omnes acerbissimas in amœnum rorem, illud fel draconum in dulcissimum mel converteret, & infernalem illum desperationis æternæ nidum in domicilium omnibus votis exoptandum converteret: *Si futuræ gloriæ una gutta deflueret in infernum, totam damnatorum amaritudinem dulcoraret.* Ita ut dici possit, infimum ex Beatis plus gaudiorum habiturum, quàm pœnarum toleraturi sint omnes simul damnati.

Etiam memoria speciale habebit suum oblectamentum dum sibi ob oculos ponet

labo-

labores susceptos, & dolores Dei amore toleratos in hoc mundo, & si quis dolor in Beatos cadere posset, is foret, quòd non plura, dum in vita, & via erant, pro Deo, & amore Dei passi sint. S. Petrus de Alcantara post mortem apparens S. Theresiæ, in hæc prorupit verba: *O beata pœnitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam.*

Hæc est rudis aliqua delineatio, & idæa gloriæ, qua fruetur anima, quæ commune aliquid habebit cum gloria Deo propria, superest ut aliquid dicamus de beatitudine corporis, in quod de beatitudine exuberante animæ plurimum redundabit.

Corpus tuum, ùt reliquarum Beatorum corpora gloriosa, quatuor dotibus sive privilegiis condecorabitur; *subtilitate* spiritibus propria, ita ut durissimos montes eadem facilitate transire ac penetrare possit, quâ solis radii limpidissimam crystallum penetrant; *agilitate*, ita ut in ictu oculi ab uno ad alterum mundi polum transvolare possit majore velocitate, quàm fulmen nubibus excussum in terras præcipitatur; *impassibilitate*, ita ut non sit ampliùs subjectum ullis doloribus, vel infirmitatibus, nec morti, sed æquè ac anima ipsius socia ac domina, immortale: *Claritate*, ita ut vultu suo illuminaret clariùs totum mundum, quàm id præstet ipse sol, quando die innubi summum circuli meridiani apicem conscendit.

Sin-

Singuli sensus habebunt sua oblectamenta congrua singillatim. *Oculus* pascetur contemplando, & videndo Christum, Beatissimam Virginem, Beatos omnes, penetrabit acie sua interiora, & intima in sinu recondita omnium corporum materialium, quæ oculis Beatorum erunt omnia diaphana, & transparentia. *Aures* deliciabuntur in suavissimis, & familiaribus colloquiis cum Christo, cum beatissima Virgine, cum reliquis cœlitibus, institutis, in percipiendis cœlestibus concentibus, & omnem artem musicam superantibus variorum instrumentorum sonis. *Odoratus*, olfaciendo cœlestem fragrantiam illius æterni veris, quo *justi florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt. Gustus* satiabitur perpetuo sapore, sine omni nausea, omne nectar, omnem ambrosiam, omnes etiam Apicii cupedias longè superante; *omne delectamentum in se habente. Tactus* immunis ab omni prorsus dolore, & vel minima molestia fruetur perfectissima corporis sanitate, ut illud Davidis impleatur: *Caro exultavit in Deum vivum.* Psal. 83. Ipsa hæc caro tua per omnes quinque sensus diffusa, in singulis specialem sentiet voluptatem: *Caro, quamvis spiritualis effecta, per omnes sensus suos exuberabit deliciis.* Laur. Justin. l. de discip.

Dum tibi tot & tanta bona ob oculos ponuntur, poterúntne te allicere, & inescate bona fluxa & inania hujus vitæ? quin si

tam avidè inhias bonis & deliciis sensibilibus & corporeis, etiam hæc non deerunt, hoc solo cum discrimine, quòd non sint futuræ sordidæ, turpes, caducæ, defectuosæ, ac deceptoriæ, quales sunt omnes hujus vitæ voluptates, aut deliciæ, sed veræ, puræ, illimes, ab omnibus sordibus defæcatæ & æternùm duraturæ. *Hoc quod exiguum amatis, insinuamus, ut ametis æternum.* S. Eucherius Ep. 1.

Punctum tertium.

Considera, cœlum esse bonum aliquod perpetuum & æternum, maturè itaque examina æternitatis hujus longitudinem, certitudinem, & amplitudinem.

1. In memoriam revoca comparationes illas, quas adhibuisti in ultimo puncto Meditationis octavæ ad adumbrandam, durationem interminabilis & nunquam finiendæ æternitatis. Postquàm gavisus fueris cœlestibus gaudiis tot millionibus sæculorum, quot momenta fluxerunt ab orbe condito ad hæc usque tempora, & adhuc fluent usque ad diem ultimi judicii, tua beatitudo incipiet, & quodammodo renascetur, nec unicum minimum instans de futura æternitate decerptum erit.

Bonum

Bonum aliquod tanto pluris fit, quò diutiùs durat: quanti ergo faciendum erit bonum, quod nunquam deficit, aut desinit sed semper durat? Plus valet infimum Paradysi bonum, aut gaudium, ideo, quia æternùm duret, quàm valeant omnia temporalia bona hujus mundi in unum collecta fascem, etiamsi per plurima possiderentur sæcula, tandem tamen finienda. Quin si immensa beatitudo, qua fruitur ipsa SS. Trinitas, finiri tandem posset, huic præferenda esset beatitudo cujusvis etiam minimi in cœlo Sancti, si hæc foret æterna, & nunquam cessatura, si quidem immensus & incomprehensibilis ille oceanus divinæ felicitatis semel exhauriendus & exiccandus foret.

Et tu tam stolidus eris; ut bonum tam magnum, & tam solidum permutes bono transitorio, vanò, quod non rarò vix unico durat momento, & instar fumi avolat.

Nec tibi falsò persuadeas, quòd diuturnitas gaudii secum trahat satietatem, quæ nauseam pariat: hoc proprium est gaudiis & deliciis hujus mundi. Mensa quantumcuncunque opipara, & lauta, comœdia quantumcunque bene instructa, faceta, peripetiis gratiosè involuta, & evoluta, harmonia musica quantumvis suavissima, si nimium duret, & protrahatur, tædium creat, & nauseam. Sed hujus furfuris non sunt

gaudia & deliciæ cœlestes. Musicus ille concentus, quem Beati in cœlis intonabant ante thronum Agni, vocatus est à S. Joanne concentus novus, quamvìs esset antiquissimus, quia in se continebat omnem suavitatem, & amœnitatem, quam novitas solet conciliare. *Cantabant canticum novum.* Apoc. c. 5.

Sed si gaudium terrenum nimia sua duratione in supplicium converti potest, quàm grande, & sincerum bonum non erit ipse paradysus, qui te felicem & beatum reddet gaudio semper novo, & semper antiquo, semper uno eodémque.

2. Si Beatus de æternitate suæ felicitatis certus, & securus non esset, omne ejus gaudium turbaretur, & amaritudine perpetua inficeretur, timeret enim, ne tempore inexpectato tota sua felicitas tam magna & inexplicabilis finiretur, & ipsum destitueret ex felicissimo infelicissimum, tanto majorem animi dolore, quanto major fuisset felicitas, cujus amissio semper timenda fuisset; sed procul abest à Beatorum animis hæc anxia solicitudo: sunt ipsi nimis quàm certi & securi, felicitatem suam nullo clausam termino, æternùm duraturam. Hæc certitudo de beatitate futura, cedit ipsis in beatitatem, & gaudium præsens, & facit, ut singulis momentis fruantur integra æternitate suorum gaudiorum, imò tot æternitatibus,

tibus, quot sunt momenta infinita æternitatis.

Globus perfectè rotundus ac sphæricus, unico tantùm, & minimo sui puncto tangit, ac premit superficiem tabulæ perfectè planam, cui incumbit; & tamen in unico illo puncto tabulæ imprimit totum globi, etiam gravissimi immane pondus. Idipsum dicito de grandi, & gravi circulo totius æternitatis, qui fine caret, & ab Apostolo vocatur: *æternum gloriæ pondus*: tangit Beatum unico sui puncto, & minima sui parte, sed dum illum simul certum reddit de sui æterna duratione, per unicum illud punctum ipsi totum illud gaudium, quod percipiet per totam æternitatem, instillat, sicut damnatus quovis momento patitur, & sentit pondus omnium suorum tormentorum, & cruciatuum æternorum; & quemadmodum apud damnatos malorum omnium supremum, & culmen est desperatio, ita apud Beatos gaudiorum, & felicitatum omnium apex, & supremus vertex est, securitas & certitudo de earum æternitate est. Et tu toties te præsenti periculo tot ac tanta bona amittendi temerè te exposuisti.

3. Hìc toties multiplicare debes hanc æternitatem gaudiorum, qua fruitur quovis instanti beata anima, quot in cœlo numerat socias, æterni gaudii participes: nam *quot socii, tot gaudia*, juxta mentem & effatum Augustini, cùm enim inter Beatos vera,

& ſincera ſemper vigeat amicitia, neceſſe pariter eſt, ut inter ipſos vigeat vera, & perfecta omnium bonorum illorum, quibus ſinguli fruuntur, mutua communicatio. Quivis gloriatur, & gratulatur alteri ſuam felicitatem, & ita ſocii ſui gloriam & felicitatem ſuam & propriam facit, atque ita ſuæ gloriæ propriæ, etiam alienam adjicit.

Quinimò Sanctus major & ſuperior magis gaudebit de gloria inferioris, quàm inferior ipſemet, qui illam poſſidet, nam Sanctus ſuperior plus, & ardentiùs amat Deum, quàm Sanctus inferior, & hinc lætatur de honore, qui in Deum reſultat ex beatitudine Sancti inferioris, atque ideo ex hac majus percipit ſolatium & gaudium, quàm ipſemet Sanctus inferioris gradûs, ac ſubſellii.

Quid jam de præmii, quod tibi Deus pro tuis obſequiis, & laboribus ſibi impenſis promittit, magnitudine judicas? potésne deſiderare majus? Cùm igitur veſtem Eccleſiaſticam indueris in ſignum ſervitutis Deo, ac Domino tuo addictæ, te ipſum anima & ſtimula ad proſequendum ſtrenuè ac indefeſſè cæptum opus propoſito tibi inæſtimabilis pretii præmiô: Renova actus fidei, ſpei & charitatis novo fervore, & dic corde & ore

Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum, & ut mereamur aſſequi, quod promittis, fac nos amare,

mare, quod præcipis: Per Christum Dominum nostrum Amen.

Dies decima.

Meditatio vigesima.

De amore Dei.

PRæmissæ orationi præparatoriæ solitæ subjunges sequentia duo præludia.

Præpone tibi Deum matris instar filium suum, quem suis effudit visceribus, tenerrimè amantis. Excubias agit, dum ipse in cunis sapidè & omnis curæ expers somnum capit: expergefactum ulnis excipit, sinu fovet, propriis lactat uberibus, gressus molientem sustentat, ducit, dirigit, ne cespitet, impingat, & corruat, omnibus eum prosequitur blanditiis, quas tenerrimus amor matribus erga suas proles cordis sui dimidium dictare solet.

In secundo gratiam à Deo pete ritè cognoscendi suam infinitam amabilitatem, ut eum triplici amore prosequi possis. 1. amore appretiativo, eum præferendo rebus omni-

bus, quæ aliquam sui æstimationem habent & nobis in pretio esse solent, prout Deus ex natura, & essentia sua amabilissimus, & omni amore dignissimus meretur. 2. Amore reciproco, tenerrimè Deum redamando, amori amorem reddendo prout meretur ejus amabilissimum cor. 3. Amore gratitudinis, semper memore innumerorum & maximorum beneficiorum, ac gratiarum, quas in te tornatiles, id est, liberalissimæ & amabilissimæ Dei manus effuderunt. Poteris eum sequentibus precibus jaculatoriis hac die sæpiùs alloqui: *Diligam te Domine fortitudo mea, firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Ps. 18. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. c. 2. *Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* Cant. c. 3.

Punctum primum.

Considera quàm amabilis, & jure amandus sit Deus, si essentia Divinæ naturæ intrinseca perpendatur, hæc enim in se complectitur, ac continet omne bonum perfectè, purè, & immutabiliter.

1. Deus in se continet omne bonum perfectè. Bonum est magnes, qui ex natura sua attrahit affectum, & amorem nostri cordis, & quemadmodum magnes quò major est, eo majoribus præditus est viribus

ad

ad attrahendum ferrum, quamvìs durum, & grave; ita pariter bonum quò majus eſt, eò majorem ſibi inſitam habet vim & virtutem noſtrum alliciendi amorem. Sed ubi invenies majus bonum, quàm in DEO, qui in ſeipſo collectum ſtringit, & continet, quidquid bonitatis diſperſum in omnibus creaturis invenitur: *Deus meus & omnia*, exclamabat ad Deum D. Franciſcus.

Quid obſecro in creaturis amas, quod non ſit guttula minima ex immenſo mari divinarum perfectionum in creaturas defluens. Amas in aliis eximiam ſcientiam, & ſapientiam: ſed hæc comparata ſapientiæ divinæ eſt mera ignorantia. Amas in aliis pulchritudinem: ſed hæc comparata divinæ faciei, ejúsque decori ac formoſitati, eſt mera deformitas, & turpitudo abominabilis. Amas in aliis potentiam? ſed hæc comparata omnipotentiæ divinæ eſt mera infirmitas: Amas in aliis innocentiam, ſanctitatem, pietatem, clementiam, juſtitiam, beneficentiam, & non advertis, has omnes creaturarum perfectiones eſſe meros defectus, & imperfectiones, ſi cum prærogativis & perfectionibus divinis conferantur. Omnis perfectio creata, ſi omni alio careret defectu, hunc ſolum ſibi neceſſariò habet connexum, quòd ſit limitata, & certis terminis circumſcripta: ſed perfectiones divinæ omnes ſunt infinitæ, & im-

meniæ nullo concluſæ termino aut fine.

Mente concipe, & in unum collige cumulum, quidquid pulchri, aut boni unquam vidiſti, audiſti, aut legiſti; imo quidquid pulchri, boni, grati omnes homines ſimul unquam viderunt, audierunt, aut legerunt; ſubjunge poſtmodùm hoc unicum: hoc necdum eſt Deus meus, nam Deus ens eſt his omnibus infinitè majus, infinitè perfectius: duplica, & reduplica centies & millies hunc ingentem cumulum conglomeratarum perfectionum, longiſſimè tamen ſemper aberis à comprehendendis cogitatu divinis perfectionibus. Perge ulterius mente tecum multiplicare, & triplicare hunc ipſum jam multiplicatum cumulum innumerarum perfectionum ſingulis momentis toto vitæ tuæ tempore, quin uſque ad finem ſæculorum, ſemper tamen cogitatus, & idæa tua tantùm diſtabit à vero, & genuino conceptu Dei, ejus perfectiones adæquante, quantùm diſtabas prima die, qua cœpiſti de hoc cogitare, & idæam aliquam moliri. Fieri nequit, vires creatas omnes excedit, etiam unam unicam tantùm perfectionem divinam comprehendere, & cogitatu adæquare, quantò magis omnes in unum collectas.

Et fieri poterit, ut unica guttula ex his perfectionibus divinis in creaturas ex alto de-

defluens tam facile cor & amorem tuum inescet, & totum abripiat, & immensus oceanus infinitarum perfectionum cor, & affectum tuum ne quidem titillet, ne dicam, tantundem obtineat? Bonum infinitum meretur amorem infinitum, & tu tam parcus, tam avarus es, ut huic in tributum debitum ne quidem amorem tuum tam exiguum, & frigidum, cor tuum tam angustum concedere aut offerre velis. Confundere, & erubesce stupiditatem, & dementiam tuam coram Deo, eúmque his cum Augustino alloquere verbis: *serò te cognovi, serò te amavi.*

2. In Deo inveniuntur omnia bona purè sine ulla admixtione mali, omnes perfectiones sine omni ne quidem umbra imperfectionis. In creaturis perfectiones præterquàm quòd sint valde limitatæ, etiam plurimis imperfectionibus, & defectibus sunt vitiatæ, qui si illimi oculo, & sine perversorum affectuum glaucomate ritè observentur, non sui amorem, sed odium merentur. Hinc oritur id, quod communiter evenire solet, ut quo diutiùs, & familiarius agere, & conversari pergis cum creatura ùtùt chara in hoc mundo, eo magìs amor defervescat, & æstimatio minuatur, dum cognitio rei amatæ, & imperfectionum, ac defectuum illi inhærentium indies augetur, qui hactenus latebant à cœco amore tecti, & protecti.

Hoc

Hoc nemo faciliùs & melius experitur, quàm conjuges: quoties non experitur maritus se in domum & thalamum admisisse furiam infernalem, quam crediderat suam fore in hac vita perpetuam felicitatem, fidam sociam laborum & amorum, firmum adjutorium simile sibi. Credo, me à veritate non aberraturum, si dixero, vix ullum ex conjugibus inveniendum, qui erga suum comparem constanter alat, & conservet vivum illius amoris fervorem & florem, quo primitùs, & ab initio in ipsum exarserat; quæ causa hujus mutationis? Diuturnior convictus, familiarior conversatio mutua semper magìs detegit defectus, qui antea non advertebantur.

In Deo evenit è diametro contrarium: quò diutiùs, quò sæpiùs & familiariùs cum DEO agitur, quantò meliùs DEUS cognoscitur, tantò magìs crescit amor erga ipsum, nam semper magìs & clariùs DEI amabilitas menti nostræ proponitur, quæ nullum, ne quidem minimum defectum in illo detegere potest. Hoc optimè nôrunt illi, qui contemplativam vitam agunt; nam hi quò familiarius cum DEO agere assuescunt, propriâ docentur experientiâ indies magis crescente cognitione DEI, crescere in se pariter indies magìs ardorem divini amoris: omnium optimè hoc sciunt & experiuntur Cœlites, quos ad amandum DEUM suavis trahit necessitas, ex clara

cogni-

cognitione & visione DEI, qua DEUM à facie ad faciem intuentur, & cognoscunt sicuti est, oriens, nam bonum infinitum, & purum ab omni fæce, & mali etiam umbra depurgatum, menti clarè objectum ita voluntatem illaqueat, & vi sine vi rapit, ut resistere, & tam dulcibus catenis se expedire non possit.

Pone tibi ob oculos omni absterso passionum, & affectuum fumo personam illam quam amas: in illa tibi placet scientia, qua pollet, sed displicet superbia, qua inflatur; arridet ejus liberalitas, sed nauseam parit ejus jactantia, suspicis ejus potentiam, sed damnas ejus violentiam; veneraris ejus majestatem, sed improbas ejus fastum. In DEO invenis scientiam sine superbia, liberalitatem sine jactantia, potentiam sine violentia, majestatem sine fastu, conjunctam amabilissimæ affabilitati: verbô: invenies omnes perfectiones sine omni mixtura vel minimæ imperfectionis.

Edicito jam; si illicia, & causæ cor tuum ad amanda objecta creata impellentes, & trahentes, licèt tot in contrarium impellentibus, & absterrentibus æqualis vel etiam majoris ponderis, & numeri motivis circumseptæ tantum in te, in cor & animum tuum possunt, cur deficiente minima etiam, quæ prudenter animum tuum terreat & absterreat, ratione, tot ad DEUM, qui ab omni vel imaginariæ imperfectionis macula

ac

ac nubecula remotissimus est, amandum illicia, & causæ moventes, impellentes, trahentes, non idipsum, imò longè & millies plus in cor, in amorem tuum possint? maturè hæc perpendito, & statue, illi cor, affectus, & amores tuos consecrare, & impendere, si sapis, cui illos tot titulis debes.

3. DEUS in se complectitur bona omnia, & quidem immutabiliter. Bona omnia, quæ in creaturis reperiuntur, mutabilitati, & perpetuæ inconstantiæ subjecta sunt, quòd te tuamet jam sæpiùs docuerit experientia.

Hominum beneficentia dando, & benefaciendo seipsam exhaurit, nam donans, quò plus donat, tantò minùs habet, quod donet, & fit pauperior, atque ad donandum inhabilior. Pulchritudo humana proprio carpitur, & extinguitur ævo, flori similis, cujus vita, & vigor vix diurnus, cujus splendor & elegantia caduca, & vix non momentanea: unicus sæpè halitus hanc splendidam lucem exsufflat. Sanctitas & innocentia vitæ unico etiam peccato vel evertitur, vel saltem fœdè maculatur, nam in hoc statu lapsæ, & corruptæ per primum peccatum naturæ vix fieri potest, imò moraliter impossibile est, ut quis ordinaria suffultus gratia diu duret, quin peccato aliquo veniali inquinetur, nisi specialis, & extraordinariæ gratiæ potentia succurrat, & à

DEO

DEO ſubmittantur ſubſidia, quòd privilegium juxta *Tridentinum Seſſ. 6. Can. 23.* vix alii, quàm ſoli Beatiſſimæ Virgini ſcimus conceſſum fuiſſe.

Hac methodo diſcurre de omnibus aliis perfectionibus creaturarum, nam eo ipſo quòd creaturis inhæreant per accidens, illísque ineſſe, & abeſſe poſſint, facilè de ſua ſede, & hujus poſſeſſione deturbari quævis poteſt ab inimica & ſibi contraria imperfectione.

Nihil horum in Deo locum habet, nam perfectiones ſuæ DEO non inhærent accidentaliter, ſed inſunt eſſentialiter, per ipſam naturam & eſſentiam ſuam. Nullum eſt periculum, ne beneficentia divina unquam exhauriatur, & deficiat, nam DEUS dando & donando quantumvis munificentiſſimè non fit pauperior: & vena vel ſcaturigo divinorum theſaurorum nunquam exareſcit, nec obſtruitur: non eſt periculum, ne pulchritudo divina unquam veteraſcat, aut vitietur, nam DEUS licèt ſit antiquus dierum, tamen nunquam cum tranſeuntibus annis tranſit, aut ſeneſcit, ſed ſemper immutabilè, & immobile ſtat momentum & punctum indefectibile ſuæ æternitatis. Nullum periculum, ne DEI ſanctitas maculetur, aut contaminetur, nam DEI voluntas eſt prima ac ſuprema regula, & norma morum, in bono immutabilis.

Ita

Ita discurre & conclude de omnibus reliquis diuinis perfectionibus, attributis & prærogativis, cùm omnes sint DEO, & ejus divinæ naturæ non accidentales, sed essentiales.

Suppositis & cognitis his solidissimis, & æternis veritatibus, agnosce etiam tuam deplorandam cæcitatem, qua creaturis cor tuum affixisti, & mancipâsti, licèt pro solo DEO factum, & paratum; potes sitim tuorum amorum, & desideriorum ardentium plenè extinguere ad fontem ipsum sublimem, illimem, purissimum, perennem, & hoc repudiato eligis potiùs bibere ex cisternis, ex cloacis sordidis hujus terræ aquas turbidas, fœtidas, brevi deficientes, & sitim non extinguere, sed accendere solitas. Sursum corda, ad DEUM converte affectum, & amorem tuum, dic, sponde, ac promitte seriò, quòd imposterum velis eum amare, quòd nihil aliud velis amare, quàm ipsum, quòd non velis amare ullam creaturam, quàm propter ipsum.

Punctum secundum.

Considera DEUM esse amabilem ob suum amabilissimum cor. DEUS debet à te amari, quia te amat, quia te amat sine ullo lucro, aut commodo ex parte sua, quia te amat sine ullo merito ex parte tua.

1. DEUS

1. DEUS te amat, nec aliâ monetâ compensatur amor, quàm amore mutuo. Desideranti amari, & in alterius amicitiam se insinuare, nonnemo ex antiquis Philosophis hunc aphorismum præscripsit: *vis ut ameris? ama.*

Hanc regulam erga te ipse DEUS observavit. Ipse primus fuit, qui te amaret: suus erga te amor fuit ipsi coævus, & tam antiquus, ut nunquam ad ejus principium sis perventurus, nam DEUS te amavit ab æterno; ab æterno in te suos amoris plenos oculos conjecit, & te præ tot mille millenis aliis hominibus, quos tui loco ex immensa illa nihili abysso, & chao extrahere poterat, te creavit, licèt illi, qui nunquam ex illa abysso emergent, te longè gratiores, fideliores, & in redamando suo Creatore longè ferventiores, quàm tu modò es, futuri fuissent. Usque ab æterno decrevit te creare, & omnibus illis donis ac beneficiis te cumulare, quibus te in tempore affecit, afficere indies pergit, & perget, nam hic suus erga te amor, qui caruit principio, etiam carebit fine, & durabit in sæculorum sæcula, nisi tu huic obicem ponere, vel omnino finem imponere velis, hunc contemnendo, & inaudita ingratitudine reciproci amoris loco, odium reddendo: *misericordia Domini ab æterno usque in æternum.* Psal. 102.

DEUS suum erga nos amorem comparat amori matris, quæ nunquam oblivisci potest partûs, quem è suis effudit visceribus: *nunquid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui.* Isa. c. 49. Comparat illum cum amore nutricis, quæ brachiis suis portat, sinu suo fovet, & propriis lactat uberibus pusionem suum: *ad ubera portabimini, & ſuper genua.* Isa. 66. Comparat cum amore patris, qui filium quamvis immorigerum, & ingratum, sed commissi erroris pœnitentem, & ad se redeuntem apertis ulnis recipit, cordi apprimit, & calidis osculis tenerrimè dissuaviatur: *cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum.* Luc. c. 15.

DEUS amat omnes universim, & in commune, sed ejus amor in omnes, in innumeros non tam divisus, quàm extensus, non impedit aut minuit amorem, aut hujus fervorem, quo singulos, & te particulariter amplectitur, sed te ita amat, uti te amaret, si solus esses in mundo, & unicum immensi sui amoris objectum: *dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* ad Galat. c. 2. Silice durior es, si tantus DEI erga te amor non ufficit ad te emolliendum, & mutui amoris flammis accendendum.

2. DEUS te amat citra omne suum lucrum, aut commodum ullum. An forsitan indi-

indiget ſuis creaturis, aut harum ope vel operâ, qui in ſe ipſo continet omne bonum, & ab æterno ſine omni creatura ſibi ſufficientiſſimus, ſe ſolo beatiſſimus fuit? DEUS meus es tu, & bonorum meorum non eges.

Invenies quidem etiam alios in hoc terrarum orbe amicos, & qui te ament, ſed fortaſſis ne unum quidem invenies, qui te colat & amet, qui non ſuam pariter utilitatem, lucrum, vel commodum ſpectet, & quærat. Aliqui te amabunt, quia à te ſperant auxilium, & ſubſidium; aliqui, quia à te ſperant patrocinium, vel interceſſiones; alii, quia ſibi à te promittunt protectionem. Rara, & rariſſima in terris avis eſt, amor puræ benevolentiæ, & ſtylo ordinario tam vetere quàm novo amor hominum in hoc mundo eſt amor concupiſcentiæ: tam difficile eſt in terris invenire amorem propriilucri, aut commodi ſtudiô non infectum, quàm difficile eſt pretioſum invenire theſaurum: *qui invenit amicum, invenit theſaurum.* Eccli. c. 6.

Nimium ſimplex es, ſi credis, quòd ille, qui ſe tibi exhibet tam amicum & addictum, te, tuam perſonam ſincerè, & unicè amet: amat tuas divitias, amat tuam protectionem, amat ſuum genium, amat tuam nobilitatem, officium, amat ſeipſum in te, dum oſtentat, & jactat, vel potiùs fingit, quòd amet te.

Non tam malè constitutus, nec amoris proprii occulta tinea corrosus est DEI amor erga te, cùm te & tuis rebus, si quæ tamen tuæ sunt, nunquam, & nuspiam indigeat, aut indigere possit: causa divini amoris ergate aliunde peti non potest, quàm ex immensa bonitate DEI. Simili veræ ac sinceræ benevolentiæ amore meretur, cupit, & jubet se redamari à te; & cùm tu summæ gratiæ loco petere, & demississimè supplicare deberes pro licentia DEUM amandi, & redamandi, primus ipse est, qui hunc amorem à te exigat instar tributi debiti, & tibi hunc imperet, ac si hoc indigeret: & tu post talem ac tantum DEI erga te amorem, post tale præceptum amandi ipsum, adhuc frigebis, & reluctaberis?

3. Deus te amat sine ullo tuo merito. Quod meritum prætendere poteras, ut te amaret, antequam ex tuo nihilo in rerum naturam protrahereris? cùm non esses? cùm nihil esses? cùm in obscuro carcere uteri materni inclusus lateres? & ex hoc progredereris jam tunc DEO rebellis, & inimicus? sed ne tunc quidem oculos suæ misericordiæ, & pietatis amovit à te, sed te regeneravit in aquis salutiferi lavacri baptismalibus, omníque absterſa maculâ originalis peccati, renovavit in anima tua, quam ipsi primitùs impresserat, imaginem vultûs sui. Adolescentior factus reddidisti malum pro bono, maleficia pro beneficiis, contemptum pro amore: & ne quidem tanta & tam

tam enormis ingratitudo sufficiebat ad minuendam, vel penitùs extinguendam suam erga te ferventissimam charitatem, ut tandem cessaret tibi benefacere etiam tunc, quando merebaris, ut justitia divina tot probris irritata, in reum caput mille ex nubibus detorqueret fulmina.

Tu obstupescis, quòd Assuerus eousque amoris vehementiâ se abripi permiserit, & Estherem è captivis judæis puellam mancipem non tantùm tenerrimè adamaret, sed etiam repudiata Vasthi Reginâ, & conjuge sua, illam in sponsam, thalami & solii sociam ascisceret; sed hoc tanta admiratione dignum non est, non enim deerant causæ, ob quas Assuerus Estherem dignam judicaret suo amore, nam erat prudens, formosa, modesta, reverens, suavis, affabilis: sed tu, cum tua natura non solùm eras diaboli mancipium, sed obsitus eras innumeris plagis, quando Deus in eum amoris excessum prorupit, ut pro anima tua tam excessauciata sanguinem suum effundam miserè vitam ipsam in infami crucis patibulo elidi sineret, ita tibi comparatur totum, ad regnum cœleste evehetur: cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. ad Rom. c. 5.

Tu & intellectu & fide cares, si ad tantum amoris prodigium non in summum rapetis stuporem, & attonitus hæres. Sed si tibi mirum videtur, quòd Deus te amaverit

ſine omni tuo merito, imò cum magno tuo demerito, longè majori admiratione digna eſt tua ingratitudo, qua tanto amori reſpondes. Tuum nihilum tantopere amatur à ſummo bono, & ſummum bonum non redamatur à tuo nihilo! cui ergo reſervas cor tuum, ſi hoc non donas totum Deo? veniam pete humillimè de tanta tua ingratitudine, roga impenſiſſimè, ut mutet cor tuum, & ex ſaxeo, quod hactenus monſtrâſti, convertat in cereum, ad omnes voluntates, ad omnes nutus divinos flexile.

Punctum tertium.

Conſidera, Deum eſſe ſummè amabilem & amandum ob beneficas & munificas manus ſuas. Ejus amor non conſiſtebat in ſterili affectu, ſed ut cor tuum expugnaret, & cogeret, ad ſe dedendum, & ſubdendum divinis deſideriis, voluntatibus, & imperiis, illud coronâ cinxit, & obſedit innumeris beneficiis, omnis generis, ordinis & claſſis 1. naturæ. 2. gratiæ. 3. unionis hypoſtaticæ.

I. Numera, ſi potes beneficia, quæ tibi Deus contulit, ad ſtatum & ordinem naturæ ſpectantia. Primum, & reliquorum beneficiorum omnium baſis ac fundamentum eſt creatio ad imaginem ſuam, & quidem talis, ut tibi conferret corpus ſanis & integris ſenſibus, animam ſuis potentiis, & facultatibus optimè inſtructam, & exornatam.

Poterat tibi conferre corpus, oculis impeditis,

ditis, luſcum, viſu privatum, cœcum; poterat te creare ſurdum, mutum, claudum, mancum, manibus pedibúsque captum, monſtroſum, debilem, infirmum, vivúmque morborum omnium ſeminarium; poterat animæ inſitas potentias ita ligare, & impedire, ut mente captus, perpetua ſtoliditate, aut dementia oppreſſus, omni rationis uſu privatus, beſtiæ, quàm homini ſimiliorem vitam duceres; poterat te condere hebetem, ſtupidum, ſtolidum, bardum, ineptum ad omnia, ad omnes ſcientias, ad omnes artes, ad civilem vitam, ſtipitis inſtar, & trunci.

Poterat rerum curſum, & ordinem facilè ita diſponere, ac permittere, ut naſcereris ex parentibus barbaris, incultis, efferis, conditione vilibus, bonis fortunæ deſtitutis, pauperrimis, vitæ ſtatu, ac genere infamibus. Et quod ſtupendum ac dolendum eſt, ſi Deus non tam larga, & liberali manu in te effudiſſet, ſed ſtrictiore tibi contuliſſet beneficia naturalia, hæc ipſa parcitas te coëgiſſet ad omittenda plura ſceiera, ad quæ perpetranda contra ipſum liberaliſſimum horum largitorem Deum, modo abuteris hac ipſa ſua liberalitate, his ipſis multiplicibus beneficiis.

Hoc beneficium creationis non ſimplex, non unum tantùm, ſed multiplex & toties multiplicandum eſt, quot momenta vitæ hactenus à te actæ effluxerunt, nam conſervatio eſt, & æquivalet novæ, & continuæ in momenta ſin-

gula creationi. Væ tibi, si Deus te vel unico momento cessasset conservare, nam illo ipso momento tu esse cessâsses, in pristinam tui nihili abyssum relapsus.

Neque hìc pedem siste, sed perge ulterius: ito per singulas & omnes creaturas sensibiles, quas Deus propter te, & ad tuum obsequium non tantum creavit, sed singulis etiam momentis providè conservavit; numera, multiplica jam, & ini computum horum beneficiorum. Propter te creati, & hactenus conservati sunt cœli, sol, luna, planetæ, stellæ firmamenti omnes: propter te terraqueus hic globus totus, silvæ, maria, herbæ, campi, agri, segetes, arbores, fructus, flores, horti, animalia, pisces, cum omnibus mixtis, & elementis? credisne post hanc multiplicatam multiplicationem, & computum te in summam aliquam certam contrahere posse numerum omnium horum beneficiorum tibi à Deo factorum?

Sed neque hic terminus est beneficiorum divinorum ad naturæ ordinem spectantium. Annumerandus est utique specialis beneficii loco immediatus concursus & influxus Dei in quamcunque actionem & operationem tuam etiam purè naturalem, ut cùm aliquid intelligis, aliquid vis, aliquid aspicis, & vides, aliquid audis, aliquid loqueris, scribis, gradum moves, nam absque hoc simultaneo concursu fores ramo arido, & ab arbore avulso similis, qui nec folia, nec fructum

ctum progerminare potest: superadde concursum divinum singulis momentis necessarium in omnes operationes omnium aliarum creaturarum ad tuum obsequium: ad tuum commodum, & utilitatem concurrit DEUS in cursum solarem, lunarem, planetarum, totiúsque firmamenti, & machinæ sive sphæræ cœlestis, horum in inferiora influxus, in pluvias, in nives, in ventorum motus, mutationes, aspirationes; dum ignis *te* illuminat, *te* calefacit, aqua *te* refrigerat, terra fructificat, Deus te pascit in cibis, te, tuúmque cerebrum confortat, & roborat in odoribus, te delectat in saporibus, te recreat in coloribus, in floribus, & viroribus pratorum, mentem excitat, & elevat in harmoniis musicis. Considera, & contemplare jam ingentem Exercitum beneficiorum, quem Deus ut Auctor naturæ in aciem eduxit, ad expugnandam saxeam reluctantis cordis tui duritiam.

II. Verumtamen pauca videri possunt omnia, quæ hactenus adduxi, si cum alia æquali multitudine beneficiorum longè altioris ordinis, quibus te obsidet, & obruit, ut Auctor gratiæ, comparentur.

Non te in statu puræ naturæ, ut poterat, reliquit, sed te ad longè sublimius subsellium, tibi & tuæ conditioni, & statui nulla ratione debitum, ad ordinem supernaturalem prorsùs gratuitò evexit; ut autem eò fa-

ciliùs finem tam excelsum, ad quem te elevavit, & exaltavit, consequi posses, ita disposuit, ut ex progenitoribus Catholicis nascereris, à teneris unguiculis, ab ipsa usque infantia in sinu sanctæ Ecclesiæ educareris, & cum lacte veram, Catholicam, Apostolicámque fidem sugeres, atque imbiberes. Per sacrum Baptismum tibi portam aperuit, & ingressum ad Congregationem, & Communionem omnium Fidelium, ad fruendum bonis & thesauris spiritualibus, qui inveniuntur in Ecclesia, Sacramentorum, sacrificiorum, indulgentiarum, Verbi Divini, sacræ Scripturæ veræ, & sinceræ, librorum Canonicorum, exemplorum bonorum, quibus justi omnibus prælucent, directionis securæ, quam à spiritualibus Patribus & in via vitæ peritis ducibus, accipere potes. His thesauris, & bonis omnibus caruisses, si inter hæreticos, Mahometanos, Judæos, vel Gentiles & idololatras natus horum errores cum lacte imbibisses, & falsis eorum doctrinis ac dogmatibus à teneris imbutus, viam perditionis cum ipsis inivisses.

Tria supernaturalium gratiarum genera, quæ omnes te concernebant, & ad te spectabant, hìc merentur specialem mentionem, & considerationem. Primò, auxilia gratiæ divinæ prævenientis, comitantis, & subsequentis: tot illustrationes, & superna lumina intellectui, tot inspirationes, & suaves impulsus voluntati, tot stimuli, tot in-

instinctus cordi tuo desuper immissi, tot occasiones salutem operandi subministratæ, tot adjumenta in hunc ipsum finem interius exteriúsque suppeditata.

2. Habitus gratiæ justificantis, & sanctificantis, qui consistit in speciali aliqua participatione divinæ naturæ; per hunc in filios Dei adoptamur, per hunc consequimur jus capiendi hæreditatem æternam regni cœlestis, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; cum hac gratia tanquam radice, & matrice reliquarum virtutum omnium tibi infusi sunt habitus tam virtutum theologicarum, quàm moralium unàcum septem donis Spiritûs divini.

3. Remissio peccatorum quam tibi toties, & tam misericorditer concessit divina bonitas, præservando, & liberando te ab inferno, quem meritus fueras per tua peccata. Hoc beneficium majus & excellentius est, quàm illud fuisset, si te infernali carceri jam intrusum ex eodem liberâsset, sicut longè majus & præstantius beneficium à Deo Beatissimæ Virgini præstitum est eam ex speciali privilegio à peccato originali, ne illud incurreret, præservando, quàm quod nobis præstat, nos, postquàm illud incurrimus, ab hac macula liberando, & abluendo. *Nisi quia Dominus adjuvit me, habitâsset in inferno anima mea.* Ps. 93. Numera, si potes, momenta singula secuturæ æternitatis, quæ sunt innumera & infinita, & tibimet ipsi dicito; totidem

tidem sunt beneficia mihi à Deo concessa, postquàm mihi vel unicum peccatum mortale remisit.

III. Tot & tam grandia hactenus enumerata, nobísque à Deo concessa beneficia vix æstimari merentur, omnemque suum splendorem videntur amittere, si comparantur beneficiis, quæ tibi Deus contulit, ut Auctor unionis hypostaticæ. In quatuor classes hæc beneficia tam excellentia dividit Mater nostra Ecclesia in hymno, quem nobis præcinit in Festo Theophoriæ: *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.*

Primum beneficium est incarnatio Verbi Divini. Ut te ad se amandum astringeret, & quodammodo cogeret non fuit contentus, quòd te sibi fecerit similem, sed se insuper voluit facere similem tibi, vestiendo se carne humana, & assumendo nostram naturam, fermè ùt olim Alexander Magnus ad conciliandum sibi Persarum affectum & amorem Persis consueto se induit habitu. Si hoc divinæ charitatis ingeniosum inventum te non movet, pejor es ipsis dæmonibus, qui nullum unquam hujus classis, aut huic similem acceperunt favorem; *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* ad Hebr. c. 2.

Sed quia per hoc beneficium se immediatè unierat, & communicaverat soli humanitati Christi JEsu, ulterius se etiam voluit immediatè communicare, & conjungere tibi in

sacro-

ſacroſanctæ Euchariſtiæ myſterio, dilatando immenſum Incarnationis beneficium, & in nos uberiùs derivando, & dum ſeipſum totum tibi dat, & donat, evacuando, ut ita dicam, atque in te effundendo totum theſaurorum ſuorum omnium ærarium. *Divitias ſui erga nos amoris velut effudit.* Trid. Seſſ. 13. cap. 2.

Sed necdum ſatis: nam poſtquàm tibi donavit ſuam divinitatem, in ſe inſuper ſuſcepit pœnas tuæ humanitati peccatrici debitas. Pro te laboravit, ſudavit, alſit, paſſus eſt, ſanguinem ſuum pretioſiſſimum fudit, & vitam ipſam dedit infinities pretioſiorem omnium hominum vitâ. Quid poterat facere majus, vel amplius? *Si majorem hac charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Joan. c. 15.

Qualis æſtus amoris ſuper omnes amoris exceſſus non ſit, & fuerit vitam dare, vel potiùs prodigere pro infenſiſſimis ſuis inimicis, & tanto ſuo impendio ſolvere lytrum pro redemptione, ac libertate, & debitis tam gravibus, ut his expungendis, & eluendis, non ſuffeciſſet integrum mare ſanguinis, quod ex omnium ſimul hominum, quin & animalium in victimam mactatorum diſſectis venis confluere potuiſſet.

Sed neque hìc ſiſtit impetum & exceſſum ſuum Dei erga te amor: plus ultrà: donat ſeipſum tibi non tantùm ad tempus, & in hac vita; ſed etiam in altera vita, & in æ-

ter-

ternum, constituendo pro æterna beatitudine animæ suam divinitatem, & pro beatitudine corporis ac sensuum tuorum suam humanitatem.

Si quis ex hujus mundi principibus aliquem suorum subditorum ob præclarè gesta dignè remunerari cupit, donat ipsi catenam auream cum appenso numismate suam effigiem referente, censum annuum, nobile aliquod feudum, speciosos dignitatum, & officiorum titulos, etiam in seros posteros suos propagandos. Deus tibi donat non solùm bona amplissima, & æterna à se distincta, sed dat & donat seipsum in æternum, & facit ut vivas non jam tua, sed sua vita divina, ut sis beatus suâ ipsius, & propriâ beatitudine. O charitatem immensam, & incomprehensibilem! Si ergo Deus vult esse totus tuus, esto tu totus Dei, & te totum Deo offer, da, dona, & consecra, cum D. Ignatio ita Deum alloquendo:

Suscipe Domine universam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, & voluntatem meam. Quidquid habeo, vel possideo, tu mihi largitus es: id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec quidquam ultra posco.

Amen.

INDEX

INDEX

Sacrorum Exercitiorum.

MOnita Personis Ecclesiasticis ante Exercitia suscipienda ab Authore data. 1.
Meditatio vesperi Exercitiis postero die inchoandis præmittenda. 17.
Pro die prima, Meditatio prima.
De ultimo fine hominis. 24.
Pro die prima Meditatio secunda.
De fine hominis ad statum Ecclesiasticum vocati. 44
Pro die secunda Meditatio prima.
De gravitate peccati mortalis. 58
Pro die secunda Meditatio secunda.
De peccatis propriis. 76
Pro die tertia Meditatio prima.
De morte. 93
Pro die tertia Meditatio secunda.
De judicio particulari. 111
Pro die quarta Meditatio prima.
De judicio universali. 129
Pro die quarta Meditatio secunda.
De inferno. 149
Pro die quinta Meditatio prima.
De peccato veniali. 169

Pro

Pro die quinta Meditatio ſecunda.
De pœnis purgatorii. 187
Pro die ſexta Meditatio prima.
De parabola filii prodigi. 206
Pro die ſexta Meditatio ſecunda.
De duobus vexillis. 225
Pro die ſeptima Meditatio prima.
De Chriſti infantia. 245
Pro die ſeptima Meditatio ſecunda.
De vita privata JEſu Chriſti. 266
Pro die octava Meditatio prima.
De Chriſti prædicatione, & vita publica. 285
Pro die octava Meditatio ſecunda.
De agonia Chriſti in horto Gethſemani. 307
Pro die nona Meditatio prima.
De præcipuis myſteriis Paſſionis Dominicæ. 328
Pro die nona Meditatio ſecunda.
De glorioſa Chriſti reſurrectione. 350
Pro die decima Meditatio prima.
De Paradyſo. 369
Pro die decima Meditatio ſecunda.
De amore Dei. 391

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
4501

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN